XXXIX.

# GYONISMVS CONFVTATVS,

*HOC EST,*

DVCENTAE EXCVSSIONES THEOLOGIAE NEO-MYSTICAE MAD. DE GYON,

*AVTORE*

CHRISTOPHORO SONNTAGIO,

SS. THEOL. D. EIVSDEMQVE PRIMARIO ET GRAECAE LINGVAE PROFESSORE, ECCL. ANTISTITE, ET H. T. VNIV. RECTORE,

*ALTORFII NORICORVM,*

LITERIS IOD. GVIL. KOHLESII, VNIV. TYPOGR.

A. MDCCXVII.

58700 (II)

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

## Ἐπίβασις.

PErcrebuit jam dudum, ſcripta Böhmii, Weigelii, aliorumque Myſticorum, & ex recentiore memoria Roſenbachii, famoſi iſtius, & almam hanc ſtudiorum Matrem perdite turbantis, Viſioniſtæ, horum quidem Autorum nomina præ ſe ferre, ab aſſeclis vero eorundem compilata, & ſubinde ab Autoribus ipſis ne conſpecta quidem unquam fuiſſe. Niſi ergo me omnia fallunt, idem ſubiit fatum Tractatus hic Myſticus Fœminæ Gallicanæ Gyoniæ, de qua pauciſſima Dn. Arnoldus Hiſtor. Hæret. part. 4. p. m. 779. plura vero B. D. Feuſtkingius Gynæc. Hæretico-fanatici p. 325. & ſeqq. ſub tit. Murovia de Guion, congeſſerunt. Proin veriſimile eſt, admiratorem neſcio quem illius, quales in Gallia complures habuit, has contemplativas hypotheſes, qua modum proponendi Neomyſticas, luci dediſſe, atque ita nucleum Theologiæ Gyoniſticæ cum orbe communicaſſe erudito. Inter hos claruiſſe Johannem de Aranthon, Franciſcum Saligniacum Fenelonium, & Patrem de la Combe, D. Feuſtk. l. c. commemorat. Quandoquidem igitur nucleus hic ipſe multis vermibus eſt eroſus, & ſub rarioris ſanctimoniæ poppyſmo apud eos, qui oculatiores non ſunt, vermiculos conſcientiæ, ex neglectu ſanioris doctrinæ orituros, ciere poteſt; idcirco, invitatus a Celeberrimo quodam Eberhardinæ Academiæ Theologo, operæ pretium fore duxi, ſi excuterem parumper & examinarem has lineas, hoc eſt, mera irritabula inflaturæ & oſtentaturæ ſeipſam ſcientiæ, prout Theologiam Myſticam B. Lutherus noſter, rectius informatus, Tom. II. Jen. Lat. fol. m. 53. a. appellat, & Comment. in Geneſ. cap. XIX. fol. m. 133. & ſeq. ita ſuum, quem erraverat, errorem confitetur: MIHI QVIDEM MAGNO CONSTITIT, DONEC EX HOC ERRORE LIBERATVS SVM. Et p. p. Age tu DEO gratias pro Verbo & externis iſtis, & relinque ampulloſas iſtas ſpeculationes. Quodſi interdum ſub vermibus aliquam nuclei particulam invenies reſiduam, quam bonæ frugi eſſe putes; curabis tamen, ut mundus ipſemet permaneas, quippe cui omnia ſunt munda, cum e contrario immundis nihil non immundum evadat. Contagioſi valde ſunt vermes Neomyſtarum, & a viciniore particula, utcunque ſana, facile attrahuntur, perinde, ac aranea unica, quæ in ollam, carnibus elixatis oppletam, conjicitur, edulium integrum, niſi divina id providentia ſingulariter avertat, inficere veneno poteſt. Gangræna ſerpit; & modicum fermenti totam fermentat maſſam. Quas Spiritus divini aſſimilationes equidem Lectori cordato pie meditandas relinquere, quam ἐπίβασιν iſthanc extendere & ampliſicare, malo.

## CAP. I.

### Introductio: *Omnes vocantur & mediante auxilio gratiæ ordinariæ ORATIONEM CORDIS (1) facere poſſunt. Hæc autem eſt via potiſſima ad ſalutem, quæ ab omnibus, etiam rudioribus, omni tempore uſurpari poteſt.*

AD orationem faciendam nemo non capax eſt; malo vero omine hodie factum eſt, ut plerique ad orandum (2) ſe haud vocatos putent: aſt quemadmodum ad ſalutem, ita & ad orationem omnes vocantur. Oratio autem nil aliud eſt,

(1) *Dolendum eſt, ORATIONEM CORDIS, quæ, juxta normam Propheticam & Apoſtolicam inſtituta, colloquium cum DEO ſcrutatore cordis, aſcenſio ſ. elevatio mentis ad DEVM, & clavis Paradiſi audit, ſi ex homine DEVM facere, & eſſentiam ipſius penitus abſorbere aut annihilare exiſtimetur, non modo facere peccatum, ſed & ipſam fieri peccatum. Hic re probatur ipſa vetus verbum: Quo quid eſt nobilius in ſuo eſſe, eo fit deterius in ſui corruptione. Diri toxici admixtio vinum quantumvis optimum mutat, idque venenatum & inſalubre reddit. Phariſæi orantis verba in ſe, &, prout in ſacra pagina jacent, ſpectata, erant frugi; ſi autem mente ac intentione cordis arrogantiſſimi, ex quo effluxerant, eadem metiare, DEO erant abominabilia. Quænam igitur ratio? Volebat ex ſe facere DEVM; neque arbitrabatur, ſeſe eſſe talem, quales alii homines forent. Imo vero dictum atque indicatum tibi eſt, o homo Phariſaice, quod bonum eſt, & quod DEVS abs te poſcit. Sequitor Verbum DEI, exerceto charitatem, & eſto humilis coram DEO tuo; cæteroquin, uti bonum ex integra cauſa, ita malum naſcetur ex quolibet defectu. Spiritualis ſuperbia eſt, ſemetipſum Deificare velle orando; id quod, ceu potiſſimum ac primum falſum, Tractatus hic pertendit.*

(2) *Neque vero ſatis id penſi habuit Molinoſus, Gyoniæ Magiſter, fingi ab ſe inter orandum neſcio quam inactionem, ita, ut ſuggeſtionibus*

eſt, quam explicatio cordis ad Deum (3) & exercitium amoris internum. Paulus jubet, ut indeſinenter oremus 1. Theſſ. V. v. 17. & Salvator noſter ait: Vigilate & orate omnes, Marc. XIII, 37. Orare igitur omnes non modo poſſunt, ſed etiam tenentur. *Meditandi* vero donum non omnes, ſed perpaucos habere, ultro fateor. Nec igitur hunc (4) orandi modum Deus exigit, aut tibi præſcribere animus eſt. Fratres dilectiſſimi, quicunque mortalium ſitis de ſalute veſtra ſoliciti, accedite ad orandum. Vobis enim uti amore, ita & oratione vivendum. ***Suadeo tibi emere a me aurum igne probatum, ut locuples fias*** Apoc. III. v. 18. Id autem faciliſſime, imo multo facilius, quam putares, conſequi potes. ***Accedite omnes, qui ſititis, ad aquas vivas***



*nibus Diaboli, inter orandum ſurrepentibus, non reſiſtatur, nullaque adeo adhibeatur induſtria, nullusque proprius motus, quem orans per vires gratiæ acceptas cooperando miniſtret. Senſit enim iſte Quietiſtarum Anteſignanus, ejusmodi Dæmonum ſuggerentium violentias medium eſſe proportionatum ad annihilandam animam, eandemque ad veram transformationem & apotheoſin indubitato perducendam. Senſit inſuper, hominem orantem, quam diu propria habeat deſideria, etiamſi ſancta videantur, in ſummo verſari periculo, ita, ut pro bono malum, pro vita mortem, pro gratia naturam corruptam ejusque motus, pro DEO Diabolum amplectatur. Aliter Salvator Matth. XVII, 20. 21. ubi contra inſultus ac tentationes Satanæ fidem, jejunia & preces eſſe neceſſarias affirmat. Fides vero efficaciæ ſuæ reſpectu eſt motus quidam vitæ ſpiritualis. Sobrii ergo ſimus, oportet, & reſiſtamus firmiter in fide* 1. *Petr. V*, 9.

(3) *Ergo DEVS non ipſemet orat, uti nec ipſe credit in homine; neque etiam orans credensve eſt pars eſſentiæ divinæ.*

(4) *De modo enthuſiaſtico concedo; de biblico nego. Eccur enim oratio vocaretur meditatio & colloquium cordis cum DEO? Vana igitur ſunt verba Gyoniæ, quæ alibi habet: Oratio, quam addiſcere debemus, non eſt meditatio (ſ. oratio activa) ſed contemplatio paſſiva, per quam omnes animæ facultates ſenſusque tum interni, tum externi ligantur. Vid.* Dn. D. Jäger. Exam. Theol. Myſt. p. 205.

Apoc. XXII. v. 17. nec fodiatis ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas Jer. II. v. 13. Accedite, omnes eſurientes, quorum famem nihil compeſcere poteſt, & ſaturabimini. *Accedite omnes, qui miſeriis & afflictionibus onerati eſtis, & refocillabimini.* Venite omnes ægri ad Medicum; nec vos a tali aditu graves morbi abſterreant: & ab iis liberabimini. Accedite, infantes, ad Patrem, qui vos ambabus amoris ulnis excipiet. Accedite, oves errantes, ad Paſtorem. Accedite, peccatores, ad Salvatorem. Accedite, ignorantes & ſtupidi. Omnes enim ad orandum eo aptiores eſtis, quo ineptiores vosmet putatis. Accedite omnes! Jeſus Chriſtus enim omnes vocat; omnis autem accedens aut foras maneat, aut cor ſecum afferat. Corde enim opus eſt, quo ametur: ſed quis, quæſo, ſine corde eſt? Venite igitur, corda (5) veſtra Deo in totum tradituri, & diſcite hic, quomodo hoc fieri debeat. Vnicuique autem auxilium ordinarium, & dona Spiritus Sancti omnibus Chriſtianis communia, ad orandum ſufficient. ORATIO clavis eſt perfectionis (6) & felicitatis ſummæ. Medium eſt efficaciſſimum, quo omne vitium exui, omnium vero virtutum habitus

(5) *Idque non hypocritice, nec Separatiſtice; neque per gratiam imaginis ſubſtantialis, verum accidentalis; nec per gratiam immediatæ identificationis; verum per gratiam mediatæ converſionis ac regenerationis. Alias orabimus, neſciendo, quid petamus. Invocatio profecto eſt cultus minime omnium electitius, tametſi inſtar clibani devotio accendatur, & vel integros olei rivos fluviosve homines offerant libentque. Indicavit tibi, homo, quid tibi ſit faciendum, & quid DEVS Dominus tuus abs te requirat. Indicavit, inquam, INDEX ſupremus, a cujus voluntate revelata neque ad dextram recedere oportebat, neque ad ſiniſtram.*

(6) *Perfectionem iſthanc in orando, ſ. orationem paſſivam ſignificanter diſtinguit Celeb. Dn. D. Jägerus l. c. p.* 183. *& ſeq. a potentia paſſiva, quam Theologi Auguſtanæ Confeſſionis homini in converſionis initio attribuere conſueverunt. Velut enim Noſtri ſub initium conver-*

habitus contrahi poteſt. Nec prius perfecti ſimus, quam cum in conſpectu Dei ambulamus, uti hoc patet ex Gen. XVII. v. 1. ***Ambula in conſpectu meo & perfectus eſto.*** Aſt oratio ſola & ſemper talem Dei præſentiam nobis ob oculos ponit. Docebimus igitur, quomodo ſemper & mediis in curis externis Principes & Reges, Abbates, Presbyteri, Magiſtratus, milites, infantes, artifices, coloni, mulieres & ægri orationem facere poſſint. Loquimur autem de ORATIONE CORDIS, quam nullæ mentis curæ & occupationes interrumpere poſſunt, ſed ſolæ inordinatæ affectiones & paſſiones. Nam impoſſibile eſt, ut, qui Deum, dulciſſimumque ejus amorem ſemel deguſtavit, aliud quid appetat. DEUM autem acquirere & guſtare facillimum eſt. Nobis enim multo propior, quam ipſi nobismet; & multo citius ſe nobis communicare vult, quam nos



*converſionis & collationis vitæ ſpiritualis negant concurſum omnem ex parte noſtri; poſtea vero ſub progreſſum converſionis cooperationem voluntatis renatæ agnoſcunt: Ita e diametro Neomyſtæ admittunt in ipſomet initio & progreſſu operationes atque actiones hominis; ſed in ſtatu perfectionis has negant, ita, ut, quo majus augmentum atque incrementum regenerationis Myſticus habet, eo minus operetur, usque dum plane & plene in Nihilum eſt redactus, ſolo DEO, in tali habitante, agente & operante omnia. Porro operationes divinæ, reſpectu quarum Myſtici dicuntur ſeſe* paſſive *habere, a nullo externo medio dependent, ſed immediate fiunt, adeo, ut DEVS ipſe ſit operans, imo etiam orans. Quamvis enim non omnes Myſtici ita loquantur & ſentiant; illi tamen, qui in abſcondita iſta Theoſophia ſummum apicem tetigiſſe putantur, hanc amplectuntur ſententiam.* Paſſio *itaque in tali oratione eſt* receptio immediatæ operationis divinæ, ligatis ac ſuſpenſis omnibus in anima motibus; *ſeu mavis, cum Boſſueto, Epiſcopo Meldenſi, exprimam mentem* τῶν φιλοτοιἐτων, Status paſſivus *eſt* ſtatus ſuſpenſionis & ligaturæ potentiarum & facultatum intellectualium, quo anima impotens manet ad producendos actus diſcurſivos intellectuales. *Quæ*

do legas; ſingulis autem vicibus lectio dimidiæ paginæ tibi ſufficiat. Non enim quantum, ſed quomodo legeris, proficuum eſt. Quemadmodum apes e floribus in flores volitando ſuccum nullum, ſed ſi in iis quieverint, ſugunt: ita pariter parum utilitatis habent, qui multa, ſed curſim tantum & obiter, legunt. Multa legendo ſcientia ſcholaſtica, ſed non myſtica acquiritur. Vt vero libri pietatis proficui fiant, hac methodo legendi ſunt; ſic enim tum diſpoſitiones, tum habitus ad orandum acquirentur. Alter modus eſt *Meditatio*, quæ tempore lectionis non fit, ſed alia ſtatuta hora: circa eam autem hæc methodus obſervanda. Poſtquam per actum fidei vivæ in conſpectum DEI nosmet ſtitimus, ſubſtantiale quid legendum, eique ſuaviter inhærendum, non quidem (10) in hunc finem, ut animus multum circa id ratiocinetur, ſed tantummodo, ut re lecta mens intra ſe contineatur. Præcipua vero mentis occupatio, meditatio de Dei præſentia eſſe debet. His ita poſitis, actus fidei vivæ de DEO, intimis cordium receſſibus præſente, efficit, ut intra nosmet profunde deſcendamus, ſenſibus omnibus ad interiora collectis; neve ipſi ad extra (11) prorumpant, præcaveamus. Hoc modo plurimæ distractiones, quas objecta externa excitare ſolent, evitantur,

(10) *At legere cum tam profunda ac tenaci meditatione, qualis hic exigitur, & tamen legere ſine ratiocinatione, eſt* ἀσυνδύνατον.

(11) *Sed Daniel orans vidit Gabrielem Angelum advolantem, IX, 21. Eſaias orans ſenſit Seraphinum labra tangentem, VI, 5, 6, 7. imo & Ezechiel adorans audivit aliquem loquentem, I, 28. Similiter Paulum Apoſtolum in raptu ſuo non ſine omni ſenſu fuiſſe, patet, quia tunc audivit verba arcana, quæ non licebat eloqui, utpote futuræ vitæ reſervanda. Confunditur fides, quæ eſt ex auditu, cum donis Dei extraordinariis, quæ non ex auditu, verum immediate certis hominibus conferuntur. Cæterum Gyonia, quæ capite præcedente modum orandi omnes, tum peritiores, tum rudiores, ſeſe docturam ſpoponderat, ad extraordinaria ejusmodi*

tantur, & ad DEVM acceditur, qui intra intimos cordium receſſus tantummodo invenietur, ubi tanquam *intra ſancta ſanctorum* habitat. Pollicetur enim ipſe, quod, ſi quis ſuam voluntatem fecerit, ad eum veniet, & apud ipſum manebit Joh. XIV. v. 23. Ipſe D. Auguſtinus in quærendo Deo alia, quam hac via, de tempore fruſtra impenſo conqueritur. Poſtquam ita in nosmet deſcendimus, DEVMque nobis præſentiſſimum ſtitimus, collectis a circumferentia ad centrum omnibus ſenſibus externis (quod equidem in principio arduum eſt, poſtea vero facillimum fit, uti hoc oſtendam) Poſtquam, inquam, anima ita ad intra collecta eſt, & placide ſuaviterque circa veritatem lectam verſatur, non quidem multum ratiocinando, ſed potius deguſtando, voluntatisque appetitum potius, quam intellectus ſpeculationem circa eam movendo, tum appetitus voluntatis ita motus in pace & requie placida relinquendus erit, donec veritatem deguſtatam abſorpſerit. Quemadmodum, ſi quis cibum exquiſitum manducaret, nec ab actu manducandi per momentum, ut abſorberet, quieſceret, nullum inde nutrimentum caperet: Ita hic etiam ſe res habet. Cum appetitus motus (12)

B fuit,

*di dona reſpicere non debebat. Eſto: Poſſit Deus ita elevare mentem hominis, ut in eo ſuſpendat uſum externorum ſenſuum, mentemque peculiari inſtruat attentione, ne cogitationibus alienis turbetur; hoc tamen extraordinarium Dei donum non evacuat hominem omni ſenſu, verum duntaxat naturali ſenſuum circa ſupernaturalia uſu; neque etiam ita recolligit ſenſus exteriores in orando, ut Deus ipſe in homine aut per hominem ſentiat ac percipiat, utque adeo, homine credente, ipſe Deus in ſemetipſum credat, aut, homine orante, ipſe Deus ſemetipſum adoret.*

(12) *At enimvero abſorptio cibi ſpiritualis non eſt ſolius appetitus, aut voluntatis appetentis, verum etiam intellectus diſcentis ea, quæ Chriſtus docet. Cum igitur utriusque facultatis actus concurrat, perperam hic committitur ſeparatio. Ab uno quippe falſo præjudicio plures poſtmodum errores pullulant.*

eum excipere cupimus. Tota igitur difficultas in juſta methodo DEUM quærendi ponitur, quæ tamen (methodus) homini tam *naturalis* (7) tantæq; facilitatis eſt, ut vix majoris ſit reſpiratio. Credite mihi, ſtupidi, qui ad nullam partem vos utiles putatis, qua facilitate ea etiam oratione DEO vivere poſſitis. Quantum igitur ſcelus erit, ſi hoc neglexeritis? Aſt non dubito, quin, viam hanc facillimam edocti, id facturi ſitis.

## CAP. II.

1. *Orationis gradus duabus partibus abſolvitur, Lectione meditata, & ipſa Meditatione.* (8)
2. *& 3. Excellentiſſimæ regulæ de modo meditandi.*
4. *De ſuperandis ejusdem difficultatibus.*

DVobus imprimis modis animus in orationem induci poteſt. Vterque autem per certum temporis tractum uſurpari poteſt & debet, *Meditatione* videlicet primo, & ſecundo *Lectione meditata*. Lectio meditata in hoc unice conſiſtit, ut veritas quædam tum theoretice, tum practice tractanda, ſeligatur, poſteriori tamen tractandi modo priori antepo-

*quidem animæ qualitas & conditio foret ecſtaſis penitus extraordinaria, cum tamen iſti Autores ordinariam jactitent; nec tamen idcirco per media ordinaria, Verbum & Sacramenta, hanc eandem obtineri poſſe contendant, verum per operationem DEI immediatam, contemplatione hac per ecſtaſin omnino divinam ſtante, opinentur fieri ſine ullo diſcurſu & motu intellectus, ſolo DEO præſente in anima, ab omni motu proprio vacuefacta.*

(7) *At enimvero* Orare *non eſt naturale opus, perinde, ac reſpiratio eſt; verum ſupernaturale, a reſpiratione diverſum ſpecie, in Spirituque peragendum; idque efficitur non virtute carnis & ſanguinis, ſed Patris in cælo. Nemo quippe venit ad Chriſtum, niſi Pater per media ordinaria (quæ ſunt funes hominum, id eſt, gratiſſimi, ſuaviſſimi, amoeniſſimique) traxerit illum.*

(8) *At lectio meditata non poteſt eſſe ſine meditatione, ceu lectio feſtinata non eſt ſine feſtinatione. Tranſeat tamen λεπτολογία, & affectata noſtræ Autoris ἀκρίβεια.*

tepoſito. (9) Id autem ſequenti methodo facies, ut, lectis tribus quatuorve lineis, veritati, a te ſelectæ, firmiter inhæreas, eas deguſtes, & ſuccum ex iis ſugas; nec pedem inde dimoveas, quamdiu aliquid ſucci iis inſit, donec tandem illæ lineæ inſipidæ tibi factæ ſint. Poſtea tot ſequentes eadem methodo

(9) *Impingitur hic in limine, dum praxis anteſertur theoriæ. Non autem ſurgimus a ſomno peccatorum, ut ſciamus pœnitentiæ tempus; verum ſcimus hoc, ut ſurgamus Rom. XIII, 11. Quin ignoti nulla foret cupido. Adeo Ducibus Neomyſtarum perinde Scholaſtica ſordent, ac Palæomyſtarum. Patres enim antiquiſſimi, deteſtantes Theologiam, quam profecti a Simone hæretici invexerant, maxime carnalem (cujusmodi fuit Carpocratianæ Metæologiæ præſuppoſitum primarium, idq́ turpiſſimum, nos hoc in mundo ſub imperio Diabolorum eſſe, idcirco morum turpitudine & vita diſſoluta illos eſſe ſuperandos, ut ita cœlum occupare queamus, teſte Epiphanio hær. 27.) nimiſque, ut fieri ſolet, in oppoſitum latus nitentes, ad majorem, quam homini in hac vita poſſibilis eſt, ſpiritualitatem, vocabulis a Scripturæ uſu recedentibus, atque ex Platonica Philoſophia deſumptis revocando Chriſtianos, genuerunt Theologiæ Myſticæ infantulum. Genitum Clemens Alexandrinus ſub initium tertii poſt C. N. ſeculi excepit ulnis quaſi ſuis, qui, cum impiæ Gnoſticorum jactationi veram & ſalutarem* γνῶσιν *oppoſiturus eſſet, neſcio quam ſuadere cœpit contemplationem, quæ vitæ Chriſtianæ perfectionem, & ſpiritualitatem devotionis ſobriæ, & piæ cognitionis, in prima fidei parte requiſitæ, ſphæram excederet, adhibitis ſimul loquendi formulis, a Scripturæ uſu recedentibus, nec ſufficienti prudentia Theologica ſatis circumſeptis. Hinc orti Anachoretæ & Monachi, hinc poſtea Myſtici Scholaſticis, & hi illis, identidem contraria ſentientes. Conf. D. Günther. Diſp. de relig. Quietiſt. pag. 6, 7, 8, 9. & ſeqq. & Jacob. Thomas. Schediaſm. Hiſtor, pag. 40. Quodſi vero Neomyſtici ſeſe a Scholaſticis ad unum omnibus, quotquot Didacticam in Scholis & Academiis doctrinam tradunt, ſequeſtrent, tum vel Prophetarum & Apoſtolorum doctrinam, quæ etiam ſano & commodo ſenſu Scholaſtica dici poteſt, repudient, oportet.*

fuit, ſi adhuc movetur, ipſius fervor reſtinguitur & anima ſuo alimento fruſtratur. Oportet igitur, ut per quietem quandam amoris, venerationis & fiduciæ, quod deguſtavit & manducavit, abſorbeat. Hoc modo animæ perfectio plus brevi tempore, quam alia quavis methodo per plures annos, promoveretur. Supra jam monui, præſentiam DEI præcipuum & directum animæ exercitium eſſe debere. In id etiam ſolicite incumbendum, ut ſenſus evagantes (13) retrahantur. Hac brevi & facili via omnes diſtractiones multo facilius inhiberi poſſunt, quam ſi directe iis obviam eatur. Si enim directe impugnentur, irritantur magis, quam ſedantur. Contra vero, cum nos in totum meditationi de præſentia DEI per actum fidei vivum (14) damus, eas indirecte imperceptibili, efficaciſſimo tamen, modo impugnamus. Vellem, ut incipientes de veritate in veritatem, aut objecto in objectum non currerent, ſed uni tam diu inhærerent, quamdiu aliquid ſucci in ea deprehenderent. Sic enim veritates faciliime capiuntur, & deguſtantur, animoque imprimuntur. Equidem difficile eſt, in principio, uti ſupra dixi, cogitationes ad

(13) *Sed qui habet aures ad audiendum, audiat. Proin ſenſuum & rationis evagatio abdicanda quidem hic eſt, non autem ſubordinata ſenſuum & rationis ſub obſequium fidei captivatio.*

(14) *Actus fidei vivus ſine prævio Verbi auditu neutiquam excitatur. Neque inſuper hinc excludi queunt divinitus conſtituti Verbi Miniſtri, quorum vocem qui audit, DEI vocem audit, & quos qui ſpernit, DEVM ipſum ſpernit. Quare haud ſine periculo ſalutis poſthabentur Eph. IV, 11. 12. 2. Cor. XI, 2. Ea quippe fidei noſtræ infirmitas eſt, ut plus nimio tribuant motibus ſuis ſpiritualibus, qui eosdem miniſterii ordinarii œconomia ſuffulcire nolint, ac Verbi divini Præcones putidiuſcule faſtidiant. Contra, actus fidei vivos prædicatione miniſterii nutriri, & indies gliſcere per eandem quotidiana pœnitentiæ ac renovationis exercitia, experiuntur illi, quibus intra limites devotionis, in Verbo revelato poſitos, ſubſiſtere eſt volupe.*

ad intra colligere, ob habitum evagandi, (15) quem anima contraxit. Superatis vero primis difficultatibus hoc deinde facillimum reddunt tum habitus, qui ſubinde oritur, tum exuberans DEI gratia, qui nihil magis in votis habet, quam ſuis creaturis ſe communicare, tum guſtus experimentalis (16) præſentiæ divinæ, quo afficitur.

## CAP. III.

*1. Methodus, quæ docet orationem meditativam in gratiam eorum, qui legere non poſſunt.*

*2. Tranſitus ab hoc orationis gradu ad ſecundum.*

QVi legere non didicerunt, ab oratione tamen ceſſare non debent. Chriſtus enim magnus (17) liber eſt, intus



(15) *Talis vero habitus non eſt externi Verbi audiendi deſiderium. Nemo enim, qui Verbum fidei contemperatum audire diſcupit, extra oleas, limites aut cancellos divinitus ordinatos evagatur. Secus facit, qui, electitio cultu defungens, proprias, & a Verbo diſſonas, devotionis ſuæ liras ſectatur.*

(16) *At hic ſine auditu ordinarie non eſt frugi. Nec præſentia DEI gratioſa aliter in Verbo promiſſa eſt, quam ita, ut per Verbum & Sacramenta hominibus contingat. 2. Petr. I, 3. 4. Eph. V, 26. Gal. III, 27. 1. Cor. X, 16. Joh. XIV, 23.*

(17) *Codicem Biblicum, prout, ſi non oculis, tamen auribus percipiendus, cognoſcendus, ſcrutandus, ac tum doctrinæ, tum vitæ ratione ſequendus proponitur; & CHRISTVM, prout magnus liber eſt, inter ſe opponere illi ſolent, qui CHRISTVM Scripturæ nucleum extra Scripturam quæritant. Vti autem falluntur, quotquot nucleum haud intra nucem integram, ſed extrinſecus anquirunt; uti falluntur, quotquot animam extra corpus animatum ſubſtantiamve compoſitam & completam invenire cogitant: Ita mirifice decipiunt ac decipiuntur, quotquot CHRISTVM, intus & foris ſcriptum, extra codicem Biblicum legi poſſe, credunt. Imo qui legit auditve lectas & explicatas periochas Danielis, ac cæterorum Virorum θεοπνεύστων, habet, quod animum*

intus & foris ſcriptus, qui eos omnia docebit. Talibus autem hæc methodus obſervanda eſt, ut ante omnia veritatem fundamentalem addiſcant, (18) qualis eſt v. g. ***Regnum Dei eſt intus in vobis*** Luc. 17. v. 21. nec alibi quærendum. Parochi ſane, quemadmodum Catechiſmum ſolent, ita non minus, quomodo orare oporteat, ſuos auditores docere deberent. Equidem eos docent, propter quem conditi ſint; quomodo vero hoc ſuo fine potiri debeant, non ſatis ipſis inculcant. Igitur feliciter eos docebunt, ſi methodo ſequenti utantur. Initium orationis facere debet profundiſſimus actus *adorationis* & *annihilationis* (19) coram Deo. Tunc annitendum, ut, clauſis corporeis, mentis (20) oculi ape-

*animum advortat. Subordinata hæc non erant opponenda, niſi devotionem ſine devotione vera & Codici Biblico analoga affectes. Quodſi lectio decenter ob imperitiam peragi nequeat, auditus tamen Verbi prædicati locum iſtius ſupplet. Sed neque CHRISTUS, nec SPIRITUS CHRISTI nos omnia docent immediate, verum mediante ipſamet prædicatione eorum, quos nobis miſerunt.*

(18) *Primum falſum; quod regnum DEI una cum veritate fundamentali ſit extra doctrinam Parochi quærendum, ſeu mavis, extra prædicationem Verbi externi.*

(19) *Adorationem coram DEO cum annihilatione fanatica conjungi oportere, dicitur quidem, & ſæpius hic ruminatur, tertiatur, inculcatur; ex Verbo DEI autem minime omnium probatur. Diverſiſſima quippe eſt annihilatio, h. l. commendata, ab illa, quam Sacræ Literæ tradunt Pſ. XXXIX, 6. 7. 8. 12. LXXII, 10. 11. 1. Cor. III, 7. 2. Cor. XII, 11. Gal. VI, 3.*

(20) *Sigilla vero juſtitiæ fidei ſive Sacramenta ſunt viſibilia, per quæ fides viva generatur; & oves CHRISTI vocem illius audiunt. Iſta proinde ſenſuum recollectio ad centrum animæ, eorumque ligatio ac ceſſatio, imo etiam mortificatio parabiblica, plus vice ſimplici hominibus proxima ad conſciſcendam ſibimet ipſis mortem via fuit, ingraveſcente præſertim complexionis melancholicæ vitio. Quicquid*

aperiantur. Anima vero ad intra continenda eſt, & ſola meditatione, quæ fiet per actum directum de præſentia Dei, per fidem vivam, qua creditur, *Deum in nobis eſſe*, occupanda eſt; & inſimul ſolicite cavendum, ne potentiæ ejus & ſenſus evagentur, ſed ad intra pro viribus contineantur & captiventur. In tali ſtatu Orationem Dominicam, cum attentione & firma fiducia, quod Deus velit ipſorum Pater eſſe, faciant, & omnia, quibus egent, ab eo petant. Pronunciata autem voce Pater, cum magna veneratione ad momentum ſileant, donec (21) ipſis ſuam voluntatem manifeſtet. Si autem accidat, ut orantes, ſuam miſeriam probe perpen-



*quid enim devotionis ſine regula Verbi externi ſuſcipitur, illud omne aurora gratiæ divinæ excidit, ceu periculòſum & illecebris Satanæ præſtigiisque expoſitum. Sed & Oratio Dominica attentius devotiusque recitari poteſt, quantumvis temet ipſum auſcultes recitantem; perinde, ac Paulus Apoſtolus cæterique Viri DEI ſuas ipſi orationes in ſpiritu & veritate ſcripſerunt, utut oculis uſurparint ſuam ipſorum ſcriptionem atque conſignationem.*

(21) *Quaſi vero DEVS clemens & miſericors non per hanc ipſammet vocem PATER ſuam voluntatem manifeſtet, & quaſi non fidelis, filialis ac fiducialis animi recumbentia, interiorque animi lætitia ab attenta recitatione orationis piæ & conſideratæ dependere poſſint, tanquam effectus reales illius recitationis. Adeo perverſum ac præpoſterum eſt orationem quærere extra orationem, ab ipſo DEO præſcriptam. Quin Spiritus gratiæ & precum ordinarie per Verbum & Sacramenta nos illuminat, ſanctificat, & in IESV CHRISTO per rectam atque unicam fidem, ex Verbo conceptam, confirmat & obſignat. Quin revocent Neomyſtici devotionum ſuarum rationes ad Moſen & Prophetas, revocent ad Legem & Teſtimonium, revocent ad Verbi divini lucernam, & reperient invenientve, ſeſe adhuc in tenebris ambulaſſe, & præ cultu Biblico, cælitus revelato ac mandato, electitium fuiſſe amplexos. Fruſtra colitur DEVS doctrinis, etiam ſubtiliſſimis, acutiſſimis & ingenioſiſſimis quibusque, quæ ſunt mandata hominum.*

dentes, ſeſe infantibus ſordidis, propriis lapſibus vitiatis, omnibus viribus, quibus ſtare & ſeipſos mundare poſſint, deſtitutis, ſimiles deprehendant; tunc in conſpectum Patris ſui humiles & rubore ſuffuſi, vocibus identidem vel amoris vel doloris emiſſis, ſe ſiſtere & in ſilentio manere debent. Poſtea pergant in eadem oratione, & in plena ſubmiſſione voluntati Divinæ, omnia jura propria in ſemet ipſi cedentes, rogent hunc *Regem gloriæ*, ut in ſuis cordibus regnet. Si vero ſenſerint inclinationem ad pacem & ſilentium, haud ultra progrediantur, ſed, quamdiu hæc inclinatio durabit, tranquilli maneant; ea autem ceſſante ad ſecundam (22) petitionem demum pergant: Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlis, ſic etiam in terra. Per hanc humillimi clientes toto corde petent, ut in & per ipſos voluntatem ſuam Divinam perficiat; corda ſua & voluntates beneplacito Divino ſubmittent, cumque animadverterint, quod amor præcipuus voluntatis actus ſit, amare deſiderabunt, & a Deo amorem Divinum petent. Hos autem omnes actus anima tranquille & placide edet. Idem procedendi modus in reliquis Orationis Dominicæ partibus obſervabitur; Sed hæc omnia fuſius Domini Presbyteri eos docebunt. Non opus eſt etiam, ut orantes Dominicam vel alias orationes vocales, quales ſunt v. g. Ave Maria &c. (23) pluries recitent. Oratio enim Dominica juxta præſcriptam methodum dicta multos fructus feret. Quandoque etiam orantes, ovium ad inſtar, ad ſuum Paſtorem accedent, & ab ipſo ſolidum alimentum poſtu-

(22) *Tertiam debuit dicere; & primam de ſanctificatione nominis divini haud præterire, niſi per ſecundam idem, quod ab altero proximum eſt, intellexerint Gyonia.*

(23) *Pleni ſunt omnes fere libri, plenæ rectius ſentientium voces, plenæ cordatiorum ſcholæ, quæ pridem id evicerunt, hanc Angeli Gabrielis prosphóneſin ad Mariam minime omnium invocatoriam, nedum adoratoriam, ſed tantummodo ſalutatoriam eſſe; minime omnium vero orationi Dominicæ aſſuendam, nedum æquiparandam.*

poſtulabunt, hoc modo: o Sacratiſſime Paſtor, ipſe pabulum (24) & panis quotidianus tuarum ovium! Poterunt etiam ſuarum familiarum neceſſitates Deo exponere; ſed hoc illo actu fidei directæ & principalis, qua creditur, quod DEVS in nobis ſit. Omnes ideæ, quas ſibi mens humana de DEO format, nihil minus quam DEVM (25) exprimunt. Viva fides de ipſius præſentia ſufficit, nec ulla imago de DEO fingenda eſt; quanquam talem imaginem de toto Chriſto, vel ut crucifixo, vel ut infante, vel etiam in aliis ſtatibus conſideret, modo anima eum ut in *ſuo fundo* (26) ſemper quærat. Quandoque etiam eum Medicum conſiderabit: tunc ſua vulnera ſananda ipſi exponet, quod ſine vehementi motu & identidem cum ſilentio modico fieri debet: ut ita ſilentium admixtam actionem habeat, poſt ſilentium magis magis que augeatur, diſcurſus vero minuatur (27) donec per ceſ-
ſionem

(24) *Arguunt verba hæc appoſita, per Paſtorem hic invocatum ipſummet CHRISTVM intelligi, utpote qui panis vitæ eſt. Sed & hic illud ſiniſtre videtur ſupponi, in quarta petitione panem quotidianum proprie non ſignificare id omne, quod ad vitæ noſtri neceſſitatem attinet. Deinde ex antecedentibus inferre licebit: Si per devotam orationis Dominicæ recitationem oviculæ ſpirituales ad CHRISTVM ſuum Paſtorem non accedunt, tum neque per hanc eandem ſolidum ab ipſo poſtulant alimentum. Poſterius fallit: E. & prius.*

(25) *Via hæc eſt ad Atheiſmum, preſſa & ſignata multorum veſtigiis. E contrario innotuit, omnem, qui ad DEVM pervenire vult, oportere credere, QVOD SIT. Etenim hæc eſt vita æterna, ut cognoſcatur DEVS, &, quem ille miſit, IESVS CHRISTVS. Dantur nimirum ideæ virium naturalium; dantur etiam ideæ ſive ſimilitudines virium ſupernaturalium.*

(26) *Sed videmus hic per ſpeculum in ænigmate. Fundus animæ vero cognitionem DEI intuitivam cum abſtractiva, prout Myſtici plerumque ſuam explicant mentem, confundit.*

(27) *Aliter Tarſenſis Apoſtolus, in quo Spiritus S. obſignavit fi-
dem*

ſionem ſuccedaneam operationi Divinæ hæc fortior & ſuperior fiat, quod fuſius in ſequentibus docebitur. Quando præſentia Divina anima donatur & ſenſim ſenſimque ſilentium & quietem guſtare incipit, hic *experimentalis guſtus* præſentiæ Divinæ eam ad ſecundum orationis gradum ducit, quem tam qui legere, quam qui non norunt, obſervata iterum methodo, quam in primo gradu præſcripſimus, conſequentur. Accidit quandoque, ut anima hoc ſecundo gradu ſtatim in principio guſtum illum ſanctum habeat. (28)

## CAP. IV.

1. *Secundus orationis gradus, qui dicitur hic ORATIO SIMPLICITATIS, quando ſuſcipienda.*
2. *Quomodo facienda & continuanda.*
3. *Requiſita, ut recte fiat.*

SEcundus gradus (29) dicitur *Contemplatio*, *Oratio fidei & quietis*, aliis vero *Oratio ſimplicitatis*. Hæc ultima appellatio

*dem divinam ſyllogiſtice Rom. III, 28.* λογίζομαι *eſt verbum, quo utitur. Alibi locorum ponit* τὸ πέπεισμαι, *de eodem argumento locutus, &* πιστὸν τὸν λόγον *nobis commendans. Diſcurſum itaque non excludit, verum includit. Præpoſtere igitur h. l. ſubordinata ſibi invicem opponuntur.*

(28) *Guſtus hic fanaticus ne ſit, omnino metuendum. Eſt enim* ἄγραφος καὶ ἀντίγραφος, *imo* ὑπὲρ ὃ γέγραπται *confictus* 1. *Cor. IV*, 6. *Igitur non eſt fructus ſ. effectus Scripturæ talis, qualis Act. II*, 37. *& Hebr. IV*, 12. *deſcribitur; nec DEO placere poteſt.*

(29) *Expectares a Fœmina noſtra Gallicana & cæteris Neomyſtis Apoſtolicam nunc piarum precum partitionem* 1. *Tim. II*, 1. *in* δεήσεις, *h. e. ejusmodi ſuſpiria, quibus mala & indigentias noſtras deprecamur;* προσευχὰς, *quibus bona a DEO petimus;* ἐντεύξεις *interceſſiones, &* εὐχαριστίας, *gratiarum actiones pro acceptis à DEO beneficiis plane immenſis. Verum hæc genuina devotionis praxis ſicco pede ab iſta præteritur; & neſcio qua theoria Philoſophica commendatur. Enimvero*

latio, quæ rem exprimit optime, retinenda. *Contemplationis* enim vox orationem ſublimiorem, quam eam, de qua loquimur, denotat. Poſtquam anima aliquandiu in exercitio eorum, quæ in antecedentibus fuere, ſtetit; facilitate DEO ſeſe applicandi ſenſim ſenſimque donatur, ſuas cogitationes multo facilius, quam ante, recolligit; oratio ipſi facilis & jucunda fit; animadvertit, quod oratio ſit viva & odorem thurium Div. olfacit. Cum autem eo pervenit, methodum mutare, & eam, quam præſcribam, nunc cordate obſervare debet, ſpretis omnibus, quæ in contrarium adduci poſſent. Primo poſtquam anima per fidem (30) ſe in conſpectum Dei ſtitit, ſuas cogitationes ad intra evocet, & aliquandiu cum ſilentio venerationis in hoc ſtatu maneat. Si vero, cum actum fidei edere incipit, contingat, ut guſtum aliquem præſentiæ Divinæ ſentiat, ſubſiſtat, &, de nulla re ſolicita, ulterius haud progrediatur. In hoc ſtatu maneat, quamdiu durat; ceſſante vero eo, voluntatem per teneram quandam affectionem excitet. Hoc autem facto, ſi priſtinam pacem & tranquillitatem recuperaverit, in ea ſubſiſtat, levi flatu ignis accenditur. Cum vero flammigerat, ab actu flandi abſtinendum; alias reſtinguitur. Imprimis vellem, ut quivis orans in fine orationis aliquandiu in venerationis pleno ſilentio (31) ſubſiſteret.

 Maxi-

*vero, cum hactenus Mad. de Gyon omnem theoriam & ſpeculationem ab oratione voluerit excluſam, guſtumque requiſiverit experimentalem & practicum divinæ præſentiæ, mirari ſubeat, cur nunc ſublimiora ejusmodi theoremata, citra præiens Scripturæ dictamen, ſibimet ipſi contraveniendo, comminiſcatur.*

(30) *Per fidem non videtur Pſeudo-Myſtica noſtratis aliud quid intelligere, niſi unionem animæ cum DEO, eamque immediate ſine Verbo DEI factam, & ad tertiam viam, quam unitivam vocitant, attinentem. Vix enim ac ne vix quidem audias a* Φιλετοιςτοις *fidem per tres partes ſubſtantiales, easque notiſſimas, & ſimul individulſe connectendas, deſcribi.*

(31) *Silentiarios noſtrorum temporum Quietiſtas merito ſalutamus;*

Maxime etiam neceſſe eſt, ut oratio ardenter & cum amore puro fiat. Nec ideo anima oret, quia aliquid a DEO obtinere ſperat, ſed ſimpliciter ut ipſi placeat, & voluntatem ejus exſequatur. Servus enim, qui ob ſpem remunerationis tantum miniſtrat & paret, (32) ea omnino indignus eſt. Orate igitur, ſed non eo animo, DEO quaſi frui velitis (33) verum eo modo, quem a vobis exigit. Hoc pacto

*mus; cujusmodi olim Taſcodrugitæ ſeu Pattalorynchitæ (de quibus mea Diatribe Græcanica legi poteſt) imo etiam poſtea Anabaptiſtæ quidam fuerant. Conf. B. Wigandum de Anabapt. pag. 16. & Schlüſſelburg. lib. XII. Catal. Hæretic. pag. 695. 731. & B. Carpzov.* Jugendſpr. *p. 435. & ſeq. Sed enim ſilentium non eſt unius generis. Aliud omnino eſt ſilentium Biblicum, cujusmodi fuit Davidicum Pſ. LXV, 2. & Eſaianum, cap. XXX, 15. quod e Scholis orthodoxorum innotuit, quodque cum fiducia erga DEVM, concupiſcentias carnis vincente, conjungitur. Aliud parabiblicum, quale Gyonia nobis e ſchola Molinoſiana tradit; quodque in reſignatione & recollectione omnium mentis actuum ad centrum cordis ponit, ubi quippe anima moriatur, annihiletur, deperdatur, DEVS autem in ſemetipſo remaneat, anima ſeſe in manus DEI reſignante, activitate omni propria faſtidita & abjecta, quemadmodum cum Poireto rem explicat Dn. D. Jägerus l. c. p. 78. Verum Apoſtolus gentium Eph. VI, 10. & ſeqq. tale ſilentium minime exigit ab orantibus, verum continuam luctam, non otium, ſed laborem & prælium. Neque Salvator noſter optimus ſemper tacuit, dum precatus eſt; neque Angeli ſemper tacent, DEVM laudando; neque imago DEI ante lapſum in ejusmodi ſilentio fuit poſita. Sanctiores itaque CHRISTO, bonis Angelis & homine integro temere conantur evadere noſtri Silentiarii Gyoniſtæ.*

(32) *Sub opinione meriti ſi miniſtrat & paret, concedimus: ſin ex fiducia erga Dominum & charitate filiali; huic ſpes remunerationis nequaquam opponenda, verum combinanda fuerat. Neque etiam hic probatur amor ſui abſolutus, verum modificatus, quo nosmet amamus non propter nos, ſed propter DEVM.*

(33) *Aliter David, utpote qui orat, ut DEO fruatur. Percrebuerunt*

pacto tum in proſperis tum in adverſis, tum in abundantia, tum ariditatibus iidem eritis; nec ariditates & dilationes DEI in exaudiendis veſtris precibus veſtram conſtantiam & fiduciam elevabunt.

## CAP. V.

*1. De pluribus vel requiſitis, vel acceſſoriis hujus orationis.*
*2. De ariditatibus, in finem optimum per abſentiam Dei ſenſibilem, cauſatis.*
*3. Hujus agendi modi utilitas.*

QVanquam DEVS nil magis optet, quam ſe animæ amore flagranti, quæ eum ſincere quærit, dare; ſæpe tamen ſe abdit, ut e ſocordia eam excitet, quo majori cura & amore eum poſtea quærat. Sed quanto fœnore remuneratur DEVS fidelitatem dilectiſſimæ ſuæ, quotque quæſo oſculis amoris ſui dulciſſimi hanc apparentem fugam & occulationem compenſat? In tali autem apparentis derelictionis ſtatu, majoris fidelitatis & amoris indicia eſſe, ſi DEVS multis actibus tum cerebri, tum mentis quæratur: Imo hoc pacto facile recuperari poſſe, plurimi putant. Nil vero minus, quam hæc omnia, in hoc ſecundo gradu obtinent; ſed in patientia amoris, (34) corde humili & demiſſo, affectione frequenti,



*buerunt ex tot Sanctorum imitatione ipſius ſuſpiria:* HErr / wenn ich nur dich habe! Ich will ſchauen dein Antlitz in Gerechtigkeit; Ich will ſatt werden / wenn ich erwache / nach deinem Bilde: Ich glaube / daß ich ſehen werde das Gute des HErrn im Lande der Lebendigen: Ich hoffe darauf / daß du ſo gnädig biſt; *& æquipollentia, numero pene infinita.*

(34) *Nuda patientia amoris ſine actibus fidei, ſpei & charitatis eſt ens rationis. Vltra hoſce actus orationem ſublimiorem quærere eſt DEVM tentare, & citra Verbum atque mandatum ipſius orare, quandoquidem oratio Chriſtiani, dum in carne habitat, eſt perpetua luctatio Spiritus cum carne Eph. VI, 14. 18. Et vero hic tantum paſſive*

quenti, ſed tamen placida, & in venerationis pleno ſilentio reditus Dilectiſſimi expectandus eſt. Hoc modo ipſi conteſta bimini, quod ipſe *Solus* & ipſius beneplacitum, non autem voluptas, quam ejus amore percipitis, cauſſa & objectum ſi veſtri amoris. Propterea dicitur Eccleſiaſtici II. v. 2. 3. De prime cor tuum, & ſuſtine ariditates (35) & obſcuritatem ne

*paſſive ſeſe habere, ac omnino ab iſta luctatione quieſcere, perinde eſt, ac bonum militem, durante prælio, ne lacertos quidem movere. Similiter qui DEVM, per peccata amiſſum, non quærit, eundem haud inveniet. Vult enim quæri operoſe, non otioſe.*

(35) *In Græco nihil de ariditatibus extat; ſed duntaxat habetur* καρτέρησον, *quod perinde, ac antecedens* εὔθυνον, *non meram paſſivitatem, ſed & activitatem ſimul indicat. Velut jamjam innui, Chriſtianiſmus noſter non eſt otium, verum indefeſſum negotium. Alias non oramus; ſed omnem prorſus orationem tollimus & abolemus. Quæ Neomyſtarum principia in timore Altiſſimi expendentes merito recordamur verborum Lutheri noſtri Tom. II. Jen. Lat. fol. m. 53. a.* Multi multa de Theologia Myſtica, Negativa, propria, ſymbolica, moliuntur & fabulantur, ignorantes, nec quid loquantur, nec de quibus affirment. *Et p. p.* Hæc admonendi gratia dicta velim, quod paſſim circumferuntur tum ex Italia, tum Germania commentaria Dionyſii ſuper Theologiam Myſticam, hoc eſt, MERA IRRITABVLA INFLATVRAE ET OSTENTATVRAE SEIPSAM SCIENTIAE. *Strinxit hoc pacto Lutherus calamum adverſus Theologiam myſticam anno 1524, quantumvis in prioribus ſuſceptæ reformationis temporibus & annis 1516 — u. a. 1520 Myſticum Germanicæ Theologiæ libellum præfatione exornarit, & nulli Scholaſticorum ſeſe tantum debere profeſſus ſit, quantum Myſtico Scriptori Taulero. Conf. meam* de entibus rationis Theologicis pag. 33. 34. *Conſonant his, quæ Megalander in Commentario ſuper Geneſin h. e. cantione ſua cygnea ad cap. XIX fol. m. 133. & ſeqq. graviſſime monuit.* Ante hoc tempus, *inquit*, priusquam DEVS lucem Evangelii oſtenderet, multa ſcripta & dicta ſunt de vita ſpeculativa & activa:

ne feſtines in tempore obductionis, & ſuſtine dilationes auxilii DEI. Conjungere DEO, & ſuſtine, ut creſcat in noviſſimo vita tua. Expectate ſemper in orationibus veſtris patienter. Imo ſi per totam vitam non aliter oraretis, quam ſcil. cum animo humili, derelicto & pacato, reditum Dilectiſſimi veſtri expectando, oratio excellentiſſima eſſet. Huic autem orationi querelas amoris quandoque etiam immiſcere poteritis. Hæc ſane methodus inter omnes alias DEO valde placet, ipſiusque reditum maturat.



va: ac in Monaſteriis utriusque ſexus, qui fere fuerunt optimi, occupati ſunt hoc ſtudio, ut offerrentur eis viſiones & revelationes. Hinc etiam factum eſt, ut quidam omnia ſua ſomnia annotarent. *Hi ſcilicet omnes expectaverunt illuminationes ſingulares ſine externis rebus.* SED HOC QVID ALIVD EST, QVAM SINE SCALIS VELLE ASCENDERE IN COELVM? Igitur præſtigiis Diabolicis ſæpiſſime deluſi ſunt. *Et p. p. adjicit:* Qui tales ſunt, contemptiſſime loquuntur de vita activa, AC MIHI QVIDEM MAGNO CONSTITIT, DONEC EX HOC ERRORE LIBERATVS SVM. Placet enim rationi, &, ut Paulus appellat, VIDETVR ESSE ANGELORVM RELIGIO. Hypocrita Wicelius & blaſphemus Apoſtata aliquando objiciebat mihi, *nos nimis externa dicere; ſpiritualibus inſiſtendum eſſe &c.* Vult enim ratio ambulare in mirabilibus ſuper ſe: SED VOS CAVEBITIS HOS LAQVEOS SATANAE. *Neque ita multo poſt:* Gerſon quoque ſcripſit de vita ſpeculativa, ac ornat eam magnis titulis; ac imperiti, cum legunt talia, amplectuntur ea pro divinis oraculis. Sed revera, ut in proverbio dicitur: Theſaurus carbones. Igitur ſeu externum, ſeu civilem te appellent vani Speculatores iſti, nihil te moveat. Age tu DEO gratias pro Verbo & externis iſtis, & RELINQVE AMPVLLAS ISTAS SPECVLATIONES ALIIS.

## CAP VI.

*1. De fructu & irrevocabilitate derelictionis ſui & recumbentiæ in DEVM.*
*2. In quo hæc derelictio, quæ a DEO præcipitur, conſiſtat.*
*3. Praxis eiusdem.*

HIc jam derelictio ſui totalis in DEO ſuum initium ſumit, ita, ut primo firmiter credatur, quod omnia, quæ nobis ſingulis momentis contingunt, τάξει & voluntate Divina in noſtrum commodum fiant. Poſita jam hac firma perſuaſione, omnia placido animo excipiemus, &, quicquid nobis acciderit, non tanquam a creaturis, ſed DEO datore proveniens, agnoſcamus. Adjuro vos, fratres dilectiſſimi, quicunque demum ſitis, qui vos DEO tradere vultis, ut, quando hoc feceritis, a manibus ejus voſmet non amplius eripiatis, cogitantes, rem datam non amplius in veſtra poteſtate eſſe. Derelictio ſui (36) eſt præcipuum pondus totius viæ, & clavis cultus interni. Qui enim rite ſemet abnegare poterit, brevi tempore perfectus erit. Derelictioni igitur firmiter inhærendum, miſſis omnibus ratiociniis & reflexionibus. Magna fides magnam ſui derelictionem parit. In DEVM unice confidendum, & ſperandum contra ſpem Rom IV. verſ. 18. Derelictio autem eſt depoſitio omnis curæ de nobismet, & recumbentia in curam Divinam. Chriſtiani omnes ad hanc derelictionem obligantur, quibus nempe omnibus injunctum eſt, ne ſint ſoliciti de craſtino die, quia Pater Cœleſtis norit omnia, quibus indigeant Matth. VI. verſ. 25. Devolve ad

(36) *De Biblica ſui derelictione concedimus aſſertum; de Anti-Biblica ſive Parabiblica inficiamur. Quorſum referimus id, quod de mittendis omnibus ratiociniis ſubjungitur. Etenim, ſi ratiocinia temeraria, & præjudiciis humanis ſuffulta, intelliguntur, pedibus ire poſſumus in hanc eandem ſententiam; ſin ratiocinia Biblica, & ab ipſo divino Spiritu in Verbo revelato ſuppeditata, intelliguntur; negamus præpoſteram iſtam hypotheſin, & præjudicium Quietiſticum.*

ad Dominum opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. Prov. XVI, 3. In omnibus viis tuis cogita eum, & diriget greſſus tuos. Prov. III, 6. Revela Domino viam tuam & ſpera in eo, & ipſe faciet. Pſ. XXXVII, 5. Derelictio igitur, tum interna tum externa, eſt recumbentia totalis in manus DEI & oblivio ſui ipſius, omnibus cogitationibus ad DEVM verſis. Hoc pacto cor liberum, pacatum & curis vacuum remanet. Praxin vero derelictionis ſui quod attinet; ita inſtituenda eſt: Omnis noſtra voluntas voluntati Divinæ ſubjiciatur. Omnis privata inclinatio, quantumvis bona nobis videatur, ſtatim ac ſuboritur, retundatur: Indifferentiſmus inducatur, nihilque præter id, quod DEVS ab æterno voluit, appetatur. Indiftiſmus autem adeſſe debet, & quoad bona temporalia & æterna (37) Præteritum oblivioni, futurum Providentiæ, & præſens

(37) *Indifferentiſmus quoad bona æterna locum nullatenus habet, utpote quæ DEVS determinavit, tanquam a nobis unice & primum quærenda Matth. VI, 33. Hoc unum neceſſarium Luc. X, 42. Cæterum Neo-myſtici Indifferentiam vocitant reſignationem mortificationemq; noſtræ voluntatis ac deſideriorum, ſilentium deſideriorum, ſacrificium ſpirituale, quo nos DEO imolare jubeamur. Petruccius aliique Rigidiſtæ ſtatuunt, indifferentiam iſthanc pertinere ad naturam & intrinſecam rationem orationis, cujus reſpectu orans Myſticus nihil quicquam a DEO in precando deſiderare debeat, & tamen precari. O dirum oppoſitum in appoſito! Puriſſima quippe indifferentia cenſetur, ſi tali in ſtatu mentis orans ne quidem æternam ſalutem a DEO petat. Sic oraſſe arbitrantur etiam Catharinam Senenſem. Anne vero malum! ita quoque oravit CHRISTVS, pro nobis intercedens, & preces in diebus carnis ſuæ varias ad Patrem ſuum cæleſtem fundens, cujus veſtigia in orando tutiſſime ſequimur? Fuitne illi indifferens, cum animam in cruce in manus Patris commendaret, foretne illa in Ipſius manibus, an non? Eccur itaque nos, ejuſmodi paſſivam Myſticorum orationem potius, quam Chriſti genuinam ac DEO placentem æmulando, indifferentes ſimus permaneamusque, utrum*

ſens DEO relinquendum. Sufficere debet momentum actuale, qua æternam decretum (38) de nobis, quodque & nobis & aliis omnibus voluntatem DEI univerſalem & inevitabilem declarat. Nil præterea, tanquam a creaturis nobis contingens, inſpiciendum, ſed omnia (excepto noſtro peccato) a DEO decerni credenda. Committite igitur vos in totum curæ & beneplacito Divino, tam quoad interna, quam externa.

## CAP. VII.

1. *De cruce, quæ e manu DEI accipienda.*
2. *De eiusdem fructibus & utilitatibus.*
3. *De praxi eiusdem.*

QVæcunque DEVS te pati voluerit (39) patienter patere. Si enim amore puro amaveris, non minus in olivarum, quam in Thaboreo monte, eum quæres. In utroque enim maxima ſui amoris pignora dedit. Ne ſis ſocius eorum, qui per certum tempus DEO ſe tradunt, ſtatim vero poſt ab

*utrum damnari, an ſalvari malimus? Multa paucis: Salvator noſter mellitiſſimus Indifferentiam iſtam minime omnium exercuit. Conf. Vocabularium meum Pſeudo-myſticum p. 26. 27. & errorem imprimis Tauleri p. 58. 59. notatum.*

(38) *Non abſolutum Dominicanorum quorundam, ſed conditionatum, hoc eſt, fidem finalem ratione electionis, & incredulitatem perſeverantem ratione reprobationis præſupponens, decretum a nobis conceditur.*

(39) *Nec hoc tamen admittendum, ſalvo Indifferentiſſimi Petrucciani dogmate. Eccur nimirum cum Myſtica Chantalia, cum Tereſia a Confeſſionibus, cum Gregorio Lopezio, cum Balthaſare Alvareſio dicat moribundus: Si placeat DEO domicilium mihi perpetuum aſſignare in inferno, equidem contentus ero. At at! DEVS noſter bonus eſt; non vult mortem peccatoris. Neque vero pœna infernalis eſt crux, neque probatio liberandorum; ſed pœna propriiſſime ſic dicta, atque, ut ita dicam, pœnaliſſima eſt.*

ab eo deſciſcunt. Dum oſcula ſui amoris ipſis ingerit, lubentes apud ipſum manent; ſuperveniente vero cruce, DEO relicto, ad creaturas, ut ſolatium inveniant, confugiunt. Nullibi animæ dilutiſſimæ ſolatium, quam in amore crucis & derelictione totali, invenietis. Qui crucem (40) non amant, illi nec Deum amant: amor enim Dei & crucis indiſſolubili nexu junguntur. Crucem vero amanti amara quævis grata, dulcia & jucunda ſunt. Animæ enim eſurienti amara dulcia ſunt Prov. XXVII. 7. & hoc ideo, quia Deum æque ac crucem eſurit. Crux dat Deum, & Deus crucem: amor crucis indicium eſt incrementi hominis interioris. Derelictio (41) & crux pari paſſu ambulant. Quamprimum aliquid animo abhorretis, quod vobis tanquam crux & afflictio perferenda proponitur; recumbite in Deum ob hanc ipſam rem, eique in ſacrificium tradite vos. Poſtea experiemini, quod crux ſuperveniens tam gravis non amplius ſit, quia eam voluiſtis. Hoc tamen non impedit, quo minus crucis pondus ſentiatur, uti alias ſibi quis imaginari poſſet, quod, qui ita crucem ſentit, non recte patiatur. Senſus enim paſſionis præcipua paſſionis pars eſt, cujus Jeſus Chriſtus totum ri-

D gorem

(40) *Non tamen fictitiam aut factitiam, ſed divinitus immiſſam. Etenim dantur complures, qui ſibimet aliam omnino crucem ſculpunt, quam CHRISTUS bajulavit, nempe electitiam, cujusmodi eſt flagellatio ſuiipſius. Ubi autem CHRISTUS ſemetipſum flagellaſſe legitur? Ubi ſemetipſum crucifixiſſe? Ubi totam humanitatis ſuæ eſſentiam mortificaſſe, annihilaſſe? Hi vero gradus crucis Hyperbiblicæ & HyperChriſtianæ ſunt fictitii atque factitii.*

(41) *Non ſatisfactoria, qualis eſt CHRISTI; neque abſorptiva, ipſiusve humanæ ſubſtantiæ deſtructiva; ſed ſui abnegativa, & pravarum concupiſcentiarum abdicativa Gal. V, v. ult. Sic igitur vexatio dat intellectum; ſic non forinſecus modo impoſita crux; ſed & intrinſecus a nobis percepta, noſtram fidem, charitatem, patientiam ac ſpem intemeratam probat.*

gorem perpeſſus eſt. (42) Crux quandoque majoribus, quandoque etiam minoribus viribus fertur; ſed omnia in voluntate DEI æqualia eſſe debent.

## CAP. VIII.

OBjiciet quis forſitan, hac methodo myſteria non doceri. Sed contrarium facile evinci poteſt. Reali enim modo (43) anima iis donatur. Nam Jeſus Chriſtus, in quem recumbimus, quem ut viam ſequimur, tanquam veritatem audimus, & per quem tanquam vitam vivimus, animæ ſemetipſum imprimit, ita ut omnia Chriſti ſtigmata anima gerat. Stigmata autem Chriſti portare, eſt aliquid multo perfectius & ſublimius, quam eadem ſaltem contemplari. (44) D. Paulus ſtigmata Chriſti in ſuo corpore portabat Gal. VI, v. 17. ut ipſe ait; ſed non legitur, quod de iis ratiocinatus (45) fuerit. Jeſus Chriſtus animam, in ſtatu derelictionis

(42) *Nempe* λυτρωτικῶς, ἱλαστικῶς καὶ ἀποτελεσματικῶς; *nos autem* δοκιμαστικῶς: *Ille mediatorie, apoteleſmatice &* ἀρχετύπως; *nos autem* ἐκτύπως, *imitatorie & ſine ſatisfactione.*

(43) *Ecquid ergo per modum realem intelligitur? Num peculiaris animi tranquillitas? Si cætera forent paria, huc trahi poſſet illud:* Ich zweiffle nicht / ich bin erhöret / erhöret bin ich Zweiffels-frey / weil ſich der Troſt im Hertzen mehret. *Imo & huc nonnulli, ſobrie allegorizantes, applicant, quod in hiſtoria Eliæ dicitur:* Der HErr war nicht im Wetter / noch im Feuer / ſondern in einem ſtillen und ſanfften Sauſen. *Alii ſilentium in cœlo Apocalypticum cum Bernhardo huc accommodant. Sed Gyoniſequi communiter modum realem immediati illapſus divini in animam intelligunt, cum de effectu mediatæ illuminationis cordatiores loquantur.*

(44) *Eccur ergo vitam hanc contemplativam nuncupant Myſtici? Aliud ſubinde apud ipſos chorda ſonat, aliud pes. Aliud in rubro ponitur, aliud in nigro. Adeo nutat eorundem pietas.*

(45) *Imo dicit:* Λογίζομαι, *quod non ſint condignæ paſſiones hujus vitæ*

nis poſitam, modo prorſus ſingulari ſuis ſtigmatibus quandoque afficit, quæ excipere, & cuicunque rei ab ipſo applicetur, paſſive ſe habere debet, omnes diſpoſitiones promiſcue recipiat, quas Chriſtus ipſi imprimet, nec ullum proprio auſu eligat, præter hanc, quu firmiter ipſi adhærere, eum amore proſequi, & ſeipſam coram DEO annihilare cupit. De cætero recipiat, quicquid Chriſtus dederit, lumen vel tenebras, facilitatem vel ſterilitatem, robur vel debilitatem, dulcedinem vel amaritudinem, tentationem vel diſtractionem difficultates, calamitates vel incertitudines, nihil inquam horum eam commovere debet. DEVS quandoque perſonas myſterio unico rite deguſtando per integros annos applicat, cujus ſola cogitatio totam mentem ad intra retrahere poteſt, ſi ſint tales in hac applicatione fideles & conſtantes: ſi vero myſterium DEVS removerit, ſibi id eripi patiantur. Alii anxii ſunt, ſed fruſtra, quod myſterium quoddam meditari non valeant. Nam applicatio amoroſa ad DEVM omnem privatam pietatem involvit; ille omnino omnia myſteria modo excellentiſſimo meditatur, qui DEO unitus eſt per requiem in eo. Nam qui DEVM amat, omne, quod de DEO eſt, per conſequens diligit.

 CAP. IX.

*vitæ ad gloriam futuram Rom. VIII, 18. Quod inſtar multorum ſufficiat allegaſſe. Inſuper inter ſtigmata Chriſti Biblica & Fanatica plurimum intereſt. Illa ſunt vera; hæc imaginaria. Illa reale quid, utut tropice, ſignificant, nempe plagas, vulnera, perſecutiones propter Dominum, & politiam ſ. converſationem ſinceram ac hypocriſeos expertem, prout ex Græcis Interpretibus id docet Camerarius Not. ad Gal. VI. p. m. 93. hæc annihilationem connotant Enthuſiaſticam. Nimirum αὐθαίρετ☉· ſ. affectata iſta orantium ſanctitas reliquias imaginis divinæ cognitionemque ac meditationem myſteriorum divinorum œconomicam, per Verbum revelatum nobis impertitam, extinguit.*

## CAP. IX.

*1. Omnis virtus per poſſeſſionem DEI ſolide & per fundum in hoc orationis gradu acquiritur.*
*2. De facilitate id faciendi.*

POſſeſſio DEI (46) eſt medium tutiſſimum ad acquirendam virtutem. Cum enim DEVS omnis virtutis principium ſit, qui Deum habet, omnes virtutes poſſidet; & quo quis DEO propior fit, eo eminentior virtutis gradus evadit. Omnis virtus, quæ ad intra non datur, (47) virtutis tantum larva eſt, veſti ſimilis, quæ facile exui poteſt; virtus vero, quæ in fundo datur, eſſentialis, vera ac permanens eſt. Pulchritudo enim filiæ Regis intus eſt Pſ. XLV. verſ. 15. Virtutis autem exercitium omnium ferventiſſimum eſt apud eos, qui eam in fundo poſſident, etſi de hac vel illa virtute in individuo non cogitent. (48) DEVS enim, cum

(46) *Poſſeſſio DEI Davidico-Aſaphica* (HErr/ wenn ich nur dich habe) *præſupponit aureolum iſtud* (dein Wort iſt meines Fußes Leuchte) *Sermo quippe Propheticus lumine immediato firmior eſt, quod in monte circa transfigurationem CHRISTI fulſerat. Alia vero eſt poſſeſſio DEI Gyoniſtica, quæ ab illo lumine Prophetico & Apoſtolico in capitibus principalioribus ſeſe dependenter non habet, verum in propriæ & privatæ devotionis ſinu temere acquieſcit.*

(47) *Ad intra datur virtus, perinde, ac effectus internus medicamenti; quod ipſum tamen forinſecus aſciſcitur, & præſupponitur ejusdem efficacia, utut medii externi. Quin etiam objecta virtutum moralium alia externa, alia interna, alia media vocitantur a Moraliſtis. De virtutibus autem Theologicis id habendum, quod fide per Spiritum Sanctum in regenitis producantur, adeoque radices agant in animabus eorundem non* μετουσιαςικῶς, *verum* ἐνεργητικῶς *Gal. V, 6. Nec illæ ſunt perfectiones renatorum eſſentiales, verum accidentales & ſuperadditæ, quin etiam tranſitoriæ, graduales & acceſſoriæ. 2. Petr. II, 5. Col. I, 9. Phil. I, 9. 1. Cor. XIII, v. ult.*

(48) *Qui ergo non cogitat de virtute, ecqui, malum, eandem hic*

cum quo uniuntur, ad cujusvis virtutum ſpeciei exercitium eos agit & impellit, nullam imperfectionem in iis non carpit, nec ullo gaudiolo eos frui patitur. Quanta eſt tunc animarum harum amore flagrantium crucis fames, & quot quæſo auſteritates ſuſciperent? Si pro lubitu (49) agere poſſunt, unicum earum ſtudium eſt, ut ſuo Dilecto placeant. Cura & amor ſui proprius ſenſim ſenſimque in iis remiſſior fit. Quo plus amor erga Deum, eo magis quoque ſui & creaturarum odium apud eas creſcit. O utinam omnes hanc facillimam methodum, ad captum tam rudium, quam doctorum accommodatam, addiſcerent! Facillime ſane Eccleſia DEI integra reformaretur. (50) *Amandum*, præterea nihil. Ama, inquit Auguſtinus, & fac, quicquid volueris: (51) Qui enim ſincere amat, nihil contra voluntatem ſui Dilectiſſimi facere poteſt.

 CAP. X.

*hic & nunc ferventiſſime exercere poteſt, aut eandem ipſam in fundo poſſidere? Sic itaque virtutem habebit ſine virtute, fervorem ſine fervore, notitiam ſine notitia. Id quod foret cultus irrationalis ac minime omnium ſpiritualis inane opus. Ita quippe ceſpitamus & hallucinamur, ſi virtutem DEI, quæ in infirmitate perficitur, in fortitudine quadam noſtrarum precum propria quæritamus.*

(49) *Imo vero corpus crucifigunt ex mandato DEI. E. non pro lubitu agunt, ſublata utraque, tum tum ſpecificationis, tum exercitii, libertate.*

(50) *Non reformaretur, ſed deformaretur per hoc vanitatis errorumque miniſterium.*

(51) *Auguſtinus autem præſupponit etiam illud Luc. VIII, 50. Crede tantum; fidemque per charitatem efficacem poſtulat cum Paulo Gal. V, 6.*

## CAP. X.

1. *De Mortificatione, quod illa nunquam per viam externam perfecte ſiat.*
2. *Sed Deum meditando fieri debet.*
3. *Qui eam ad extra, quantum neceſſe eſt, ordinat.*
4. *Inde ſequitur vera converſio.*

PRæterea impoſſibile eſt, ut quis ad perfectam ſenſuum & paſſionum mortificationem per aliam viam, quam per meditationem internam (52) de DEO, pertingere poſſit. Hujus aſſertionis hæc eſt liquida ratio, quia anima eſt, quæ ſenſibus vim & vigorem largitur; ſenſus autem paſſiones movent & irritant. Mortuus (53) nullum amplius ſenſum paſſionemque habet poſt ſeparationem animæ & ſenſuum. Omne

(52) *Sed cur non etiam per meditationem internam de ſuis cujusque peccatis, & æternarum pœnarum meritis? Cur non per meditationem de paſſione, morte & reſurrectione CHRISTI, quæ facta eſt extra nos? Cur non per meditationem divinæ miſericordiæ, in CHRISTO nobis probatæ? Cur non per meditationem fidei, cujus notitia in nobis reflexa eſſe poteſt? Vbinam ergo locorum Scriptura jubet, ut homo convertendus introvertat ſe in ſemetipſum? Quin potius id ſibi vult, ut homo abneget ſemetipſum, abneget mundum, & ſequatur Chriſtum. Quin prius vult, ut meditetur DEVM, per peccata a nobis ſeparatum, ut ad eundem redeat, quam in nobis habitantem, ut maneat; meditetur. Imo vult tandem, ut homo mortificet veterem Adamum non per introverſionem in ſemetipſum, ſed per reverſionem a Satana, mundo & ſemetipſo, hoc eſt, a propriæ carnis concupiſcentiis, & per reverſionem ad communionem internam cum DEO, qua per peccata exciderat. Ita meditamur vulnera CHRISTI, quæ non in nobismetipſis, verum in cruce ipſi inflicta ſunt.*

(53) *Alia eſt mors, oppoſita vitæ naturali: & alia mors, oppoſita peccato. Non de hac, ſed de illa duntaxat, aſſeri poteſt, quod mortuus nullum amplius ſenſum paſſionemque habeat.*

Omne enim exercitium externum animam ad extra attrahit, & quo intenſius externis inſiſtit & inhæret, eo magis ad extra ſe diffundit: v. gr. ſi auſteritati externæ directe ſe dederit, tota verſus hanc partem intenta eſt, & ita ſenſus alit magis, quam compeſcit. Senſus enim ſuum vigorem ab anima unice trahunt: quo plus igitur iis ſe communicat, eo validiores fiunt. Vigor vero ſenſuum paſſiones irritat, non compeſcit. Equidem auſteritates corpus debilitant; ſenſuum vero aculeos hebetare, eorundemque vigorem ob rationem modo allatam ſupprimere non poſſunt. Hoc autem fit, cum anima ad intra ſe totam colligit, & DEUM, qui in ea præſens eſt, meditatur. Dum enim omnes ſuas vires & vigorem ad intra retrahit, divortium cum ſenſibus facit, (54) & ab iis ſe ſeparat, dumque eas omnes intus in objectum intendit, ſenſus omni ſuo vigore deſtituuntur, ita, ut, quo magis ad DEVM accedit, eo magis a ſemet ſeparetur; & hoc cauſſa eſt, cur illi, in quibus attractus gratiæ ad intra fortior eſt, animo ſæpe linquantur. Hiſce tamen verbis mortificationem elevare non intendo. Nam mortificatio, juxta vires, ſtatum & obedientiam uniuscujusque, orationem ſemper concomitari debet: ſed hoc tantum volo, quod mortificatio præcipuum exercitium haud eſſe debeat, nec neceſſe ſit, ut huic vel illi auſteritati præciſe inhæreamus. Sequamur modo attractum interiorem, & meditemur præſentiam DEI; (55) nec de mortificatione in individuo ſimus ſoliciti. (56) DEVS ad omnium mortificationis

(54) *Hoc autem pacto ordo divinus intervertitur. DEVS quippe ordinat, ut fides non ſit ſine auditu, ſed ex auditu, & cum auditu. Qui enim aures habet ad audiendum, audiat.*

(55) *Sed & meditemur legem DEI die ac nocte. Hodie ſi vocem DEI audimus, non obturemus corda noſtra.*

(56) *Quod de mortificatione in individuo nobis haud conveniat eſſe ſolicitis, ambigue dicitur, atque intelligitur vel de ſpeciali & individuali*

cationis ſpecierum exercitium ſatis aget & impellet; nec ullam relaxationem animabus fidelibus, quæ in eum recumbunt, prius dabit, quam omne, mortificandum modo, mortificarint. (57) Simus modo in DEVM intenti, & omnia perfectiſſime peragentur. Omnes mortificationibus externis perferendis haud ſunt idonei; ſed memoratus a nobis mortificationis modus in omnes cadit. Duo ſunt ſenſus, viſus & auditus (58) qui exceſſive mortificari non poſſunt, quia omnes ii ſpecies formant. Hoc tamen fiet, ſi modo Spiritum DEI ſecuti fuerimus. Anima per hanc methodum duo commoda ſortitur. Nam quo magis anima externis ſe ſubducit, eo magis DEO accedit, quo vel propior DEO fit, præterquam quod robore multo, quo ſuſtinetur & præſervatur, donatur, a peccato eo magis ſe ſeparat, ita ut tunc in converſione habituali ſtet.

## CAP. XI.

*1. De converſione perfecta (59) quæ huius orationis effectus eſt, quomodo illa fiat.*

*2. 3. De auxiliis, quibus peragitur, attractu Divino, & Tendentia animæ ad centrum.*

*4. De eiusdem praxi.*

CONvertimini vero Filii Iſrael, qui valde a DEO veſtro receſſiſtis Eſa. XXXI, v. 6. Converſio nihil aliud eſt, quam

*viduali enumeratione ſingulorum peccatorum, vel de ſolicitudine & cura pro ſuis cujusque peccatis. Priori ſenſu dictio admittitur; poſteriori autem repudiatur. Nam vel David confitetur:* Ich ſorge für meine Sünde.

(57) *Nec tamen mortificatione Platonica, ſed Biblica & Paulina.*

(58) *Vterque requiritur ad uſum Verbi & Sacramentorum, ſine quibus mediis mortificatio Biblica fieri non poteſt.*

(59) *Perfecta hominis converſio eſt mutatio ejusdem ab infidelitate ejusque operibus ad fidem ejusque opera. Quo ipſo in negotio*

quam averſio a creaturis, & reditus ad DEVM. Converſio a peccato ad gratiam non eſt perfecta (quanquam bona, & ad ſalutem neceſſaria) ſed hæc eſt converſio perfecta, quæ fit ab externis ad interna. (60) Cum enim ſemel anima verſus DEVM inclinata eſt, tunc in converſione ad DEVM facillime remanet, &, quo longius in converſione ſtat, eo magis DEO accedit, eo magis a creatura, quæ DEO opponitur, ſeparatur, imo in converſione ita corroboratur, ut ipſi habitualis & quaſi naturalis fiat. Hoc autem non fit per exercitium violentum ex parte, cui nihil aliud incumbit, quam ut mediantibus auxiliis gratiæ ad intra ſe convertat & recolligat, dein ad DEVM ita verſa in adhærentia continuet. DEVS enim vim attractivam habet, qua animam ad ſe magis magisque attrahit. Dum autem attrahit, eam purificat, eo fere modo, quo ſol vaporem aliquem denſum ad ſe attrahit ſine ullo actu ex parte vaporis, qui ſe trahi tantummodo patitur. Quo vero ſoli propior fit, eo purior & ſubtilior evadit. Sed in hoc ſimili diſſimile eſt, quod vapor libere non trahatur, nec ſponte ſequatur. Hic trahendi modus ad interiora (61) facillimus eſt, qui ſine ullo

E impetu

*tio maxime arduo & ſupernaturali homo, a creaturis avertendus, etiam a ſemetipſo averti, ſemetipſum abnegare, carnem crucifigere & mortificare, & ſic nova evadere creatura debet. Hinc contingit, ut, dicente Chryſoſtomo, fiamus templa DEI, qui hactenus fueramus templa Satanæ.*

(60) *Quin converſio a peccato ad gratiam multo perfectior eſt, utpote a DEO mandata. Hæc autem Platonica non eſt a DEO mandata, ſed cultus electitius, quo DEVS fruſtra colitur. Neque abſonum dictu foret, quod, ſi exuitur vetus homo, converſio eatenus ab interioribus ad exteriora procedat.*

(61) *DEVS non trahit homines convertendos ab exterioribus ad interiora; verum ab incredulitate interiore mentis ac voluntatis ad fidem. Trahit a peccato tum interiore, tum exteriore ad emendationem tum interiorem, tum exteriorem.*

impetu, ſed modo prorſus naturali fit, animam maxime perficit. Nam DEVS eſt noſtrum centrum; centro autem virtus attractiva fortiſſima ſemper ineſt, adeo, ut, quo eminentius & magis ſpirituale centrum eſt, eo etiam violentior & fortior fit ipſius attractus, qui ſiſti non poteſt. Præter hanc virtutem attractivam in centro omnibus creaturis ineſt tendentia fortis ad reunionem cum ſuo centro, ita, ut in perfectioribus & magis piis hæc tendentia etiam fortior fit. Quamprimum res aliqua verſus ſuum centrum vertitur, niſi per obſtaculum invincibile remora ipſi injiciatur, in ipſum magno impetu ruit. Quamprimum lapis in aere ſuſpenſus (62) ſuo vinculo ſolvitur, & verſus terram vertitur; tam

(62) *Similia iſtiusmodi non illuſtrant, nedum probant, ſed obſcurant potius rem in Sacro Codice evidentius deſcriptam. Anima convertenda, ita mihi optata contingant, cum lapide, terram verſus ex alto decidente, commode nequit comparari, eo, quod motus iſte ſit naturalis rectilineus, hic autem (nempe converſionis) motus ſit ſupernaturalis; quodque ille ſenſui & rationi perceptibilis, hic imperceptibilis exiſtat. DEVS eſt noſtrum centrum, non proprie, ſed abuſive loquendo, ſalva videlicet ipſius infinitate. Ergo & hoc ſimile Pythagoreum eſt diſſimile; quandoquidem interminabilitati DEI in eſſendo denominatio iſta officit. O miſeram autem religionem, quæ ſpeculationibus ejusmodi humanis ſuperſtruitur! Argutiæ nimirum iſtæ, de DEO uſurpatæ, quanto ingenioſiores videntur, tanto magis noxiæ & periculoſæ eſſe conſueverunt. Ad ſummum anfractus evadunt, ad quos præclara etiam ingenia ſubinde remigant. Quid opus eſt verbis? Hujusmodi tricæ profecto non ſunt fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, cui ſuperædificatos nos eſſe conveniebat. Præterea homo in converſione ſeſe non habet naturaliter, verum obedientialiter. Quæ quidem potentia ejusdem obedientialis non viribus naturæ, ſed gratiæ eſt traducibilis in actum. Vbi vero malum! Propheta aut Apoſtolus DEVM vocat centrum? Taceat itaque Pythagoras in Sione. Vbi Propheta aut Apoſtolus conver-*

tam primum proprio pondere in illam, tanquam ſuum centrum, tendit. Eodem modo ſe res habet cum aqua & igne, quæ, niſi impediantur, in ſuum centrum impetuoſe ruunt. Cum autem anima in tendentia ad centrum per recollectionem internam (63) poſita eſt, ſenſim ſenſimque, ſolo amoris pondere preſſa, in centrum labitur. Quo autem anima tranquillior eſt, & minus ſe movet; ad centrum eo celerius ruit, quia tunc huic virtuti attractivæ magis cedit, quia eo fortius trahit. Vnica igitur hæc noſtra cura eſſe debet, ut ad intra omnes animæ vires recolligamus. Hoc equidem exercitium in principio arduum nos deterrere non debet. DEVS enim brevi tempore ſuo concurſu admirabili aderit, ipſumque facilitabit; modo ad retrahendum cor noſtum, cum evagari vult, per recollectionem ſuavem & tranquillam, perque teneras & pacificas affectiones, aſſidui ſimus. Cum



*converſionem hominis, in genuina ſua praxi & ſpecifica ratione conſideratam, per tendentiam ad centrum deſcribit? Ejusmodi ſimilia, (repeto) Pythagoriſmos potius & Platoniſmos, quam Prophetarum & Apoſtolorum Scholas redolentia, multorum animos jam pridem adeo turbavere, ut ultra ſphæram activitatis quaſi aſcendere niterentur, & ſimplicitatem IESV CHRISTI poſthabitam non ſine diſcrimine tandem amitterent. Aliter ſuæ devotioni conſultum voluere Cordatiores, quibus antiquiora ſemper extitere ſimilia Spiritus divini, converſionem per transmutationem a tenebris ad lucem, a poteſtate Satanæ ad DEVM &c. delineantis. Debemus utique eam Spiritui Sancto reverentiam, ut Palæo-myſticiſmos & Neo-myſticiſmos ejusmodi reſpuamus, utpote qui nos ab analogia fidei abducunt, & formam ſanorum verborum licentius transgrediuntur. Satanas tripudiat, ſi ea, quæ DEVS ſaluti & emendationi hominum lapſorum conſignata deſtinarat, Verbi ſui oracula, in materiam litis ab ipſismet hominibus abripi animadvertat.*

(63) *Sed hæc recollectio interna ex converſione facit non-converſionem, utpote eorum, qui nec audiunt, nec vident, nec Verbo DEI, nec Sacramentis utuntur.*

enim paſſiones ſuboriuntur, reditus quidam ſuavis ad DEVM, qui intus præſens eſt, eas facillime compeſcit & enervat. Contra, ſi quis eas directe impugnare velit, irritabit eas magis, quam compeſcet. (64)

## CAP. XII.

in quo agitur

1. *De gradu orationis ſublimiori*, oratione *ſcil.* ſimplicis præſentiæ DEI, *aut* contemplationis activæ, *quæ hic levi brachio attingitur, de qua fuſius in alio tractatu dicendi locus erit.*
2. 3. 4. *In hac oratione omnis operatio propria per actum vivum, plenum, abundantem, Divinum, facilem, & quaſi naturalem, evaneſcit & removetur;* (65) *unde*

(64) *Ita ergo Paulus, repugnans legi peccati, quæ fuit in membris ejus, irritavit magis, quam compeſcuit, paſſiones ſuas. Falſo.*

(65) *Num paſſivitas iſta Neomyſtica (ut didactice hanc novitatem uno exprimam verbo) quam Gyonia gradum orationis ſublimiorem h. l. vocat, ſit via DEI, hic primaria, eademque altioris indaginis, eſt quæſtio. Scholæ integriores id merito inficiantur. Revelatio quippe divina homini renato cooperationem in ſpiritualibus, a viribus gratiæ profectam, adjudicat.* Quilibet, *inſtar omnium ait Johannes I. epiſt. cap. III,3.* qui hanc ſpem habet ad ipſum, PVRGAT SEMETIPSVM, ſicut & ipſe mundus eſt. *Ecce tibi, o homo regenite, poteſtatem purgandi temetipſum, eamque non paſſivam, ſed activam! Ecce tibi vires gratiæ, in regeneratione collatas, ac divinitus indultas! Ecqui ergo via DEI eſſe poſſit iſta paſſivitas Myſtica, quæ merum ens rationis in Matæologia eſt? Ecqui per viam iſthanc DEVS hominem ad ſinceram pietatem deducat, quæ ignota fuit Davidi, oranti:* HErr / zeige mir deine Wege / und lehre mich deine Stege; Leite mich in deiner Warheit / und lehre mich *Pſ. XXV, 5. Patet ergo, quod paſſivitas iſta fictitia non ſit via hominis ad DEVM;* Das iſt nicht der Weg / auf welchem denen Menſchen gezeiget wird das

*unde patet, male ab Anti-myſticis nobis objici, quaſi otium & ſuppreſſionem omnis actus (66) ſtatueremus. Contrarium itidem multis ſimilibus a nobis probatur.*

5. *Tranſitus ad* orationem infuſam, (67) *in qua actio fundi & vitalis in anima non perit; ſed plenius & abundantius (quemadmodum potentiæ ejus) per actum DEI influit.*

6. *Facilitas iſtarum viarum DEI, & exhortatio, ut ipſis nos committamus.*

POſtquam anima in amore & affectione erga ſuum DEVM ſeſe exercuit, non ſine ſtupore ſentit & deprehendit, quod DEVS eam totam ſenſim ſenſimque occupet. Præſentia DEI ei tam familiaris fit, ut non poſſit eam non habere. Quemadmodum oratio, ita & hæc præſentia per modum habitus ei donatur. Sentit etiam, quod tranquillitas eam ſenſim ſenſimque pervadat & occupet; & ſilentium unica ejus oratio fit, DEVSque amore infuſo, qui principium felicitatis ineffabilis eſt, eam donat. O utinam

 liceret

das Heil GOttes. Sondern GOtt giebt denen Glaubigen Krafft ſtarck zu werden durch ſeinen Geiſt an dem inwendigen Menſchen/ daß ſie alſofort alles vermögen durch den/ der ſie mächtig machet Chriſtus. *DEVS operatur in ipſis & velle, & PERFICERE (non ſolum τὸ Perfici) Neque ipſi aliquid faciunt, quin CHRISTVS per ipſos efficiat; Sicque adeo DEVS, non noſtra merita, ſed ſua in nobis dona coronat, &, ſi plantamus rigamusve* (active), *ſolus dat incrementum.*

(66) *Proteſtatio contraria facto hic datur, eademque manifeſta. Atque ita tenebræ doctrinales, per lucem expoſitæ, arguunt, Gyoniſtas aut a ſemetipſis diſſentire, aut ſemetipſos parum capere.*

(67) *Uti non datur oratio acquiſita; ita nec commode dicitur oratio infuſa. De habitu quippe infuſo innotuit, quod acquiſito contradiſtinguatur. Cæterum qui novas gignunt phraſes, novas gignunt hæreſes. Etenim prætenſa paſſivitas non poteſt non omnem actionem fundi, omnemque actionem vitalem animæ tollere.*

liceret recenſere gradus infinitos, qui ſequuntur; ſed quia in gratiam incipientium tantummodo ſcribo, hic ſubſiſto, donec DEUS in lucem emittat ea, quæ in omnibus ſcitu neceſſaria ſunt. Dixiſſe itaque ſufficiat, quod tunc omnino neceſſe ſit, ut omnis actio & operatio propria (68) ceſſet, ut ſolus DEUS operari poſſit. (69) Eſtote quieti & agnoſcite, quod Ego ſim DEUS, inquit JEHOVA per Davidem Pſ. XLVI. Sed tanta eſt creaturæ etiam ratione ſuarum actionum philavtia, (70) ut non putet ſe operari, niſi propriam operationem ſentiat, cognoſcat, & diſtinguere poſſit. Sed non obſervat, quod rapiditas ſuarum actionum impediat, quo minus eas percipere & diſtinguere valeat. Deinde quando operatio DEI abundantior facta eſt, creaturæ operationem abſorbet, non ſecus, ac ſol, qui, quo magis ad ſublimiores & ſuperiores poli partes accedit, eo magis ſtellarum lumen abſorbet, quæ, priusquam oriebatur, rite diſtinguebantur. Exorto igitur ſole, defectus luminis ex parte ſtellarum non eſt cauſſa, quod non amplius videantur & diſtinguantur, ſed potius luminis exceſſus, quod ſol (71) diffundit. Eodem modo hic ſe res habet. Creatura ſuam operationem non amplius diſcernere poteſt, quia Lux quædam

(68) *Aliud nos docet præceptio Paulina Eph. VI, 18.* Bethet ſtets/ 1. *Theſſ. V, 17.* Bethet ohn Unterlaß/ *& Petrina, II ep. cap. I, 10.* Thuet deſto mehr Fleiß *&c.*

(69) *DEUS tamen ita in regenitis operatur, ceu intelleximus, ut & ipſi ἁγνίζωσιν ἑαυτοὺς 1. Joh. III, 3. Eſtote quieti, ait DEUS Pſalm. XLVI, 11. non ab exercitio bonorum operum, ſed ab hoſtili Eccleſiæ perſecutione. Proin hæc allegatio minus quadrat.*

(70) *Quin reflexa propriarum actionum cognitio & diſtinctio non ſemper oritur a philavtia illicita Job. XXVII, 6. imo etiam ab ἰδιομισίᾳ, odio ſui ſuarumque trangreſſionum & iniquitatum Luc. XVIII, 13. Dan. IX, 7. Esdr. IX, 6.*

(71) *Commodius: Juſtitia imputativa CHRISTI noſtram juſtitiam, ſplendor ſolis ſplendorem ſtellarum, abſorbet.*

dam fortis & generalis omnia hæc exigua lumina abſorbet, inviſibila reddit, & per ſuum exceſſum prorſus ſuperat. Falluntur igitur, qui hanc orationem *otii* arguunt. Hoc ſane ex defectu experientiæ aſſerunt. O utinam eam in praxin deducerent! Brevi tempore peritiſſimi in hac materia fierent. Nam hæc operationis deficientia non eſt ex penuria quadam; ſed potius ex exuberantia magna oritur, quod experientia (72) omnem, qui hujus rei periculum faciet, docebit. Obſervabit etiam, hoc ſilentium (73) non infructuoſum eſſe, quaſi ex penuria oriretur, ſed plenum, unctuoſum, per abundantiam productum. Duæ ſunt in vita humana ſilentii cauſæ, altera rerum narrandarum defectus, altera vero earundem nimia copia: Ita in hoc orationis gradu ejus ſilentium exuberantia, non vero penuria, cauſat. Aqua duobus hominibus modo prorſus diverſo mortem cauſat: alter enim ſiti confectus, alter vero aquis immerſus perit; primus ob penuriam, ſecundus vero ob nimiam earum abundantiam moritur: Sic etiam exuberantia operationis ceſſationem efficit: Silentium igitur in hoc orationis gradu maxime neceſſarium eſt. Hæc veritas poteſt porro ſenſibili exemplo infantuli ſugentis demonſtrari. Quemadmodum enim talis lactens puer (74) labella primo movet, ut lac uberibus extrahat; cum vero fluere incipit, ſine ullo

(72) *Hinc apparet, quod Gyonia experientiam ad ſummum pro comprincipio Scripturæ habeat: quandoquidem hypotheſeos ſuæ Quietiſticæ rationem inde ultimato arceſſit.*

(73) *Meræ petitiones ejus, quod erat in principio, hic accumulantur. Deficit probatio Scripturæ; adeoque fruſtra ſilentium hoc dicitur unctuoſum, cum ſit ex alio Evangelio præter id, quod revelatum eſt, aſcitum. Spiritus Sanctus, qui eſt unctio noſtra principalis, non docet nos ſine Verbo externo.*

(74) *Simile incongruum. Adhibet iſtud ſubinde Scriptura de incipientibus; Gyonia de adultis & provectioribus, quos putat. Incondite ergo.*

ullo labellorum motu ipſum abſorbet; ſi vero labia tunc moveret, maximum impedimentum crearetur, lac effunderetur, & a ſugendo tandem deſiſtere cogeretur: Equidem ſub orationis initium labia affectionis omnino commovenda ſunt; cum vero lac gratiæ fluere incipit, cum tranquillitate & ceſſatione placide abſorbendum eſt; ſi vero fluere ceſſaverit, infantis ad inſtar, affectio pauliſper iterum movenda eſt: qui ſecus ageret, tali hæc gratia inutilis & infructuoſa eſſet, quia nobis donatur, ut ad requiem *Amoris* attrahamur, non vero ut ad motus proprii (75) multiplicationem excitemur. Sed quid accidit tali infantulo, qui placide & ſine motu lac abſorbet? Quis credidiſſet? Eo nutritur: imo quo pacatior & tranquillior lac ſugit, eo magis ei conducit. Quid, inquam, ipſi accidit? In gremio MATRIS tandem placide obdormit: Ita etiam anima in oratione pacifica ſomno myſtico (76) ſæpe opprimitur; in eo autem omnes potentiæ ſopiuntur & ſilent, donec per ſtatum id ingrediantur, quod ipſis tranſitive donatur. Vnde patet, quod anima hic modo prorſus naturali ſine violentia, ſtudio vel artificio ducatur. Interius hominis non eſt urbs munita, quæ tormentis & vi debellanda ſit, (77) ſed eſt regnum pacis, quod amore poſſideri debet. Qui igitur hujus methodi ductum ſecutus fuerit, brevi tempore ad orationem *infu-*

(75) *Infantes infantilia tractant; viri virilia, ſecundum menſuram ætatis CHRISTI Eph. IV,* 13. 14.

(76) *Hoc igitur pacto Theologia Myſtica, quam tradit Mad. de Gyon, una cum ſequacibus, eſt Theologia ſomniantium.*

(77) *Imo fortior eſt, qui ſe, quam qui fortiſſima vincit mœnia, nec virtus altius ire poteſt. Prov. XVI,* 32. *Et licet hic præſto non ſit coactio; præſto tamen eſt ſuaſio per elenchos, per funes hominum. Atque ita Verbum eſt gladius anceps, eſt malleus, petras concutiens, eſt ignis, eſt tonitru.*

*infuſam* (78) orandi perveniet. Nihil difficile & extraordinarium a nobis DEVS exigit; quin potius agendi ratio ſimplex & puerilis ipſi perplacet. Nam quicquid in religione eminentiſſimum, id etiam facillimum, v. g. Sacramenta, quæ maxime neceſſaria ſunt, facillime etiam adminiſtrari poſſunt: idem etiam obtinet in rebus naturalibus. Visne tu v. g. in oceanum devenire, conſcende navem & fluvio te committe, ſenſim ſenſimque ſine ullo motu eo pervenies: Ita etiam, visne DEVM adire? Hanc viam ingredere, & brevi tempore modo prorſus mirabili ad eum pervenies. O utinam hoc experiri in animum induceretis! Deprehenderetis ſane, nos pauciſſimis verbis hasce ſublimes veritates delibaſſe. Quid timetis quæſo? Cur ſancto impetu in Amoris brachia non ruitis, (79) qui ea in cruce extendit, ut vos amplecteretur? Vos ſane non decipiet, niſi modo prorſus jucundo, plura nempe vobis largiendo, quam ab eo expectatis. Qui contra omnia a ſemetipſis expectant, forſitan exprobrationem ex ore DEI audituri ſunt, quæ legitur apud Eſa. LVII. v. 10. In multitudine viarum veſtrarum laboraſtis; nec dixiſtis, quieſcimus. (80)



(78) *Hanc orationem, quæ ſine Verbo DEI ſuſcipitur, averſamur; at illam, quæ per verba Biblica, ceu funes hominum, peragitur, infuſam appellare detrectamus. Nec vero ſimplicitatem a Verbo DEI diſſonam, verum eam duntaxat, quæ Verbo conſentanea eſt, probamus. Neque viam eligere juvat aliam, quam a CHRISTO, qui eſt via, veritas & vita, monſtratam.*

(79) *Sed & Crucifixus ille noſter Amor nobis prædicat Verbum, quod Sapientibus hujus mundi eſt ſtultitia, & Judæis ſcandalum. Et tamen Pater cœleſtis de ipſo pronunciat: Hunc audite. Accurrendum igitur eſt ad ipſum non modo, ut Sacerdotem & Regem, verum etiam ut Prophetam.*

(80) *Propheta non intelligit quietem a pœnitentia, ſed quietem ſeu ceſſationem ab idololatria. Igitur nihil denuo ad rem facit iſthæc al-*

*legatio.*

## CAP. XIII.

1. *De requie animæ coram DEO, qui ipſi modo admirabili præſens eſt.*
2. *De fructu huius præſentiae pacificae.*
3. *Inſtructio circa methodum, quae in praxi tenenda eſt.*

POſtquam anima hucusque pervenit, nulla alia præparatione porro, quam ſua requie, indiget. Tunc enim *præſentia DEI*, durante die, qui eſt maximus ille orationis fructus, vel potius continuatio ipſius orationis, *infuſa & fere continua* fieri incipit. Jam anima in fundo inæſtimabili felicitate fruitur, inſimulque deprehendit, quod DEUS magis in ſemet, quam ipſa ſit. (81) Ut autem eum inveniat, profunde in ſemet deſcendere debet. Quam primum enim oculos claudit, tam primum ſe captam & in oratione poſitam deprehendit, ob tantum bonum obſtupeſcit; intra ipſam converſatio fit, quam nullum externum negotium interrumpere poteſt. De hoc orationis modo idem, quod de Sapientia dici poteſt Sap. VII. verſ. 11. Venerunt mihi omnia bona cum illa. Omnes virtutes in talem animam ſuaviter confluunt, earundemque praxis ei tam facilis fit, ut naturalis quaſi ipſi videatur. (82) Germen vitæ etiam in ſe habet, vi cujus magna facilitate in bonum quodvis fertur,

*legatio. Neque etiam de inquietudine tantum peccati actualis, ſed & originalis hic agitur. In renatis dicitur ceſſatio ab inquietudine peccatorum actualium atque proæreticorum, non item ceſſatio ab inquietudine peccati originalis deprehendi Rom. VII, 24. Jac. I, 14.*

(81) *Cum præſentia DEI abſorptiva, annihilativa & Deificativa manifeſte ab hac aſſertione ſupponatur, eidem ſubſcribere mihi religioni duco.*

(82) *Quaſi vero peccatum originis non amplius adjaceret regenito, eundemque ad beatam usque analyſin redderet inquietum. Neque vero vel ipſe Apoſtolus magna facilitate ad bonum quodvis ferebatur Rom. VII, 24.*

tur; omne vero malum averſatur. Anima igitur in hoc ſtatu fidelis maneat, caveatque ſibi, ne alias diſpoſitiones, qualescunque ſint, præter ſolam requiem in ſe inducere allaboret. Quicquid factura ſit, ſeu confeſſura, ſeu ſacro Epulo uſura, ſeu oratura ſit, nihil aliud ipſi incumbit, quam ut ſe hac effuſione Divina repleri patiatur. Hisce vero verbis præparationes, unicuivis Sacramentis uſuro neceſſarias, non elevo, ſed diſpoſitionem internam (83) omnium perfectiſſimam, in qua cum fructu accipi poſſunt, tantum judico.

## CAP XIV.

*1. 2. De SILENTIO INTERNO, eiusdem ratione & mandato.*

*3. Quod SILENTIUM EXTERNUM divortium cum externis & recollectio ſui interna maxime juvant & promovent.*

DOminus in ſancto ſuo Templo: Sileat (84) ante faciem ejus tota terra Hab. II. v. 20. Ratio autem, cur ſilentium adeo neceſſarium, hæc eſt, quia nempe, cum Verbum



(83) *Vſum Sacramentorum ſine vera fide in CHRISTVM nemo ſibi polliceri poteſt. Hæc autem non in diſpoſitione interna noſtrarum partium, verum in fiduciali apprehenſione & appropriatione mortis & ſatisfactionis Domini noſtri IESV CHRISTI conſiſtit. Nimirum ſumus baptizati in mortem CHRISTI; adeoque Baptiſmus noſter ſuum valorem, ſuam virtutem & efficaciam ex vulneribus CHRISTI nanciſcitur. Accipimus in S. Cœna Corpus CHRISTI pro nobis in mortem traditum, & Sanguinem ejus pro nobis effuſum in remisſionem peccatorum. Sine fide autem nemo juſtificatur, neque remisſionem peccatorum conſequitur. Vbi igitur non eſt vera & ſincera fides, ibi nec vera cum CHRISTO unio, nec præſentia DEI gratioſa ſperari poteſt. Crede; & CHRISTVS per fidem in te habitare perget.*

(84) *Sed hoc Prophetæ loco non intelligitur ſilentium quietis, ſuper quo fuerat quæſtio, quodque affectus & actiones animæ recolligat; verum*

bum ſit ſermo æternus & eſſentialis, omnino neceſſe eſt, ſi ab anima recipi debeat, ut anima diſpoſitionem induat, quæ quandam cum hoc ſermone convenientiam & relationem habeat. Jam certiſſimum eſt, quod, ut ſermo percipiatur, aures arrigere & audire oporteat; auditus autem eſt, qui ſermonem ſibi communicatum recipit. Auditus vero eſt ſenſus aliquis magis paſſivus, quam activus, qui recipit quidem ſermonem; ſed non pariter communicat. Cum itaque verbum ſermo ſit, qui animæ ſe communicare, eamque revivificare vult, neceſſe omnino eſt, ut anima attenta ipſum auſcultet, (85) qui intus cum ipſa locutus eſt. Plurima loca ſunt, quæ DEVM audire, ipſiusque vocem auſcultare jubent; ſed inter alia pauca hæc tantum referemus: Attendite ad me, popule mi, & gens mea audite me Eſ. LI. v. 4. Audite me vos, qui portamini a meo utero, qui geſtamini a mea vulva Eſ. XLVI. v. 3. Audi filia, vide & inclina aurem tuam, & obliviſcere domum patris tui, & concupiſcet Rex pulchritudinem tuam Pſ. XLV. v. 12. DEVM igitur auſcultare, Ipſum attendere, ſemet vero & omne proprium intereſſe obliviſci oportet. Hæ duæ actiones (aut potius paſſiones, maxime enim hæc paſſiva ſunt) amorem, quo concupiſcit DEVS pulchritudinem, quam ipſemet communicat, conciliant. Silentium internum externum maxime juvat: imo impoſſibile eſt, ut quis interior fiat,

---

*verum ſilentium reverentiæ. Inſpice boni commatos Interpretes. Proin hic locus nihil ad præſens facit.*

(85) *Auſcultatio aurium, proprie dicta, cum auſcultatione animæ ſive auſcultatione emphatica hic confunditur. Vapulat inſuper ſequela: Audire DEVM debent, qui ab eo geſtantur in utero. Ergo audire eum debent per tale ſilentium internum, ſeu per orationem quietis, in ſenſuum exteriorum introverſione & recollectione conſiſtentem. Confunduntur inſuper receptio Verbi eſſentialis, & receptio Verbi-προφορικȣ, revelati, atque prædicati. Confunduntur tandem Loqui enthuſiaſticum, & Loqui ἀκȣστικόν. Cætera nunc omitto.*

fiat, ſine ſilentio & divortio cum externis. Id enim ipſe DEVS per Prophetam ſuum afferit: Ducam eam in ſolitudinem (86) & loquar ad cor ejus Hoſ. II. v. 14. Hoc omnino verum eſt. Quomodo, quæſo, intus DEO attendere, & ſimul tamen mille levia externa animo volvere poſſemus? Hoc ſane impoſſibile eſt. Cum autem per infirmitatem fit, ut anima extravagetur, ſtatim ad intra recolligenda eſt. Quoties autem id accidit, toties etiam hoc faciendum. Parum ſane eſſet per dimidiam vel integram horam orare, & ſeipſum recolligere, (87) niſi per totam diem unctio & orationis ſpiritus retineretur.

 CAP. XV.

(86) *At ſolitudo crucis & variarum calamitatum non eſt ſolitudo ſilentii, ſed ſolitudo precatoria & clamatoria ſ. vociferatoria Iſraelitarum in deſerto.*

(87) *Recollectionem Davidicam in Pſalmo CXVI,* 42. 43. *non Ecſtaticam aut Enthuſiaſticam, probari agnoſcimus. Ita ergo muſcæ noxiæ bona corrumpunt unguenta. Enimvero quis piorum, has & ſimiles corruptelas doctrinæ ſanioris conſiderans, ſuper fatis Eccleſiæ Chriſtianæ non ingemiſcet? Certe uti non Quietiſmus, ita nec Gyoniſmus eſt fabula; ſed gangræna, quæ longe lateque ſerpit, parteſque ſanas facile reddit morbidas; ſed lerna malorum, ſub infucata ſpecie defenſorum; ſed larva, ſub qua multi Indifferentiſtæ, Apoſtatæ & hypocritæ deliteſcunt. Confer haud abſimiliter de Pietiſmo ſentientem Dn. D. Förtſchium Relat. innox. append. ad annum* 1715. *pag.* 1136. *Nec abs re vero erroneas iſtiusmodi opiniones de DEO & rebus divinis, cum pertinaci defenſione præſertim conjunctas, peccatis, contra primum præceptum admiſſis, Cordatiſſimi Graviſſimique Virorum accenſent. Ecqui etiam non tantum in Germania, ſed & in Gallia, Italia, Anglia, Belgio aliisque oris ac regionibus tot gangrænæ multorum peruaſerint animos, Eccleſiamque Chriſtianam tam anterioribus, quam citerioribus temporibus turbarint, inſtar omnium B. D. Grapius in Theologia ſua recens controverſa luculenter dedit expeditum. Sunt utique ultima tempora. Veni, Domine, & noli tardare!*

## CAP. XV.

*1. 2. De examine CONSCIENTIÆ. Quomodo in hoc ſtatu fiat; a DEO nempe peragitur.*
*3. 4. De CONFESSIONE, contritione & oblivione nævorum in hoc ſtatu.*
*5. Hæc omnia præcedentibus gradibus applicari non poſſunt.*

EXamen ſui confeſſionem ſemper præcedere debet. Examinis autem modus aliquam convenientiam cum animæ ſtatu habere debet. Anima igitur, quæ in præſenti ſtatu conſtituta eſt, in conſpectum DEI ſiſtere ſe debet, qui eam illuminabit & indolem nævorum ejus ipſi manifeſtabit. Examen autem hoc cum pace & tranquillitate fieri debet, ita quidem, ut peccatorum noſtrorum notitia non tam ex propria inquiſitione, quam ex DEI manifeſtatione (88) nobis innoteſcat. Quando enim cum applicatione forti examen noſtri ipſi inſtituimus, ſæpe fallimur, bonum malum, malum vero bonum putantes: philavtia enim nos facillime decipit. Sed quando in conſpectu DEI ſtamus, ſol hic divinus vel minimas atomos manifeſtat. Multum igitur recumbere, & DEO ſe committere, tum in examine, tum in confeſſione convenit. Quamprimum anima in hoc orationis ſtatu conſtituta eſt, tamprimum DEVS eam de nævis, quos committit, arguit. Imo ſtatim, ac in peccatum quoddam incidit, ſtatim etiam exuſtulationem ſentit, quæ id ipſi exprobrat. Hoc autem examen a DEO inſtitutum eſt, quod nihil non examinatum dimittit. Animæ autem tunc incumbit, ut ad DEVM ſimpliciter convertat ſe, & correctionem pœnam-

(88) *Subordinata hic denuo nequaquam fuerant opponenda. Etſi tela DEI adverſus Davidem deſcendunt, & manus DEI ipſum premit; tamen nihilominus cum applicatione forti David examen ſui ipſius inſtituit, per vires quippe haud nativas, verum dativas & ſupernaturales; non carnales, ſed ſpirituales, in regeneratione acceptas.*

pœnamve, quam ipſe dictitat, tranquille patiatur. Quemadmodum autem hoc examen ex parte DEI continuum eſt: Ita anima ſemet examinare non amplius poteſt. (89) Imo ſi in totum cum fiducia DEO ſe tradiderit, Lumen id Divinum multo melius eam examinabit, quam adhibita etiam omni diligentia id ipſa facere poterit; quod experientia unumquemque docebit. Quod *Confeſſionem* attinet, ſciant, qui hac via incedunt, quod, cum antea, ad cathedram confeſſionariam accedentes, ſua peccata enumerare incipiebant, dolore & contritione afficiebantur, nunc vero id facientes loco contritionis (90) amorem jucundum & tranquillum, qui eorum animas pervadet & occupabit, deprehenſuri ſint. Nam plurimi, cum hunc amorem jucundum ſuboriri ſentiunt, eum incauti ſuffocare, & ſeſe ex hoc ſtatu eripere conantur, ut contritionis actum forment, eo, quod talem neceſſarium eſſe edocti ſunt. Contritio equidem neceſſaria eſt: ſed ita veram contritionem amittunt, quæ videlicet eſt ***amor ille infuſus***, (91) qui infinities major eſt omni contritionis

(89) *Cur ergo non?? Certe David denuo orat: Domine, coram te deſiderium meum: Cor meum contremiſcit; virtus mea me deſeruit, & lumen oculorum meorum non eſt mecum. Similiter alii vere pœnitentes.*

(90) *Vnde vero, dic mihi, amor jucundus oriatur, ſi conſideres gratiam DEI, in CHRISTO nobis oblatam, abs te autem repudiatam? Vnde amor jucundus, ſi recordere, te peccatis continuatis & millecuplis erga illam gratiam maxime fuiſſe injurium? ſi doleas cum fuga DEI irati, te hæc tanta facinora perpetraſſe, doloremque, fiducia erga DEVM ſalutari deſtitutus, in anima & corpore perſentiſcas? Lex profecto iram operatur, per quam agnitio peccati accenditur. Vnde etiam amor jucundus, ſi perpendas, te tanto amore DEI, tantisque beneficiis abuſum fuiſſe, & DEVM amantem odiſſe?*

(91) *Amor DEI infuſus, qui ſit vera contritio, eſt denuo ens rationis, & ex lege non-legem, ex Evangelio non-Evangelium, ſi dari poſſe ſtatuatur, fieri poſſe ſupponit.*

tionis actu, quem a ſe ipſis edere poſſent. (92) Habent enim eminentem actum, qui cæteros omnes modo multo excellentiori, etiamſi non ut diſtinctos & multiplicatos, capit. Soliciti igitur non ſint de actibus contrariis edendis, (93) cum DEVS in & cum ipſis modo excellentiori operetur. Nam peccatum hoc modo odiſſe, eſt id odiſſe, uti DEVS odit. Amorem enim omnium puriſſimum DEVS in anima accendit. De operando igitur non adeo ſolicita ſit, juxta conſilium Sapientis: Confide in DEO, & mane in loco tuo quietus Eccl. XI. v. 22. (94) Deprehendet etiam anima non ſine ſtupore, quod ſuorum nævorum obliviſcetur, vixque eorum recordari poterit. Hoc tamen ipſi nullam inquietudinem (95) creare debet, duabus de cauſſis: primo, quia hæc oblivio indicium eſt, quod nævus purificatus

(92) *Quaſi vero contritio ſit noſtrarum virium, & non, prout ſalutaris eſt ſive ad ſalutem coorta, auxiliis gratiæ indigeat.*

(93) *Perverſe hoc traditur. Ita nempe pœnitentes peccatores non forent creati ad bona opera, ut in ipſis ambularent. Quietiſmus maxime ſcandaloſus, jamdum alibi plus vice ſimplici a nobis notatus. Ex fructibus eorum cognoſcimus ita animatos. Ita ergo ſceleratiſſimi quique erunt ſimul pœnitentes & non pœnitentes, converſi & non-converſi, ſi de operando (actus contrarios) non adeo ſoliciti ſint, ſed maneant tales, quales ſunt.*

(94) *Impoſuit Gyoniæ Vulgatus. Græcus enim textus non habet* in loco, *verum* ἔμμενε τῷ πόνῳ σȣ, mane in labore tuo. *E. Siracides potius fuit Anti-Quietiſta, laborem quippe magis poſtulans, quam imaginariam Quietem, & virum ſiſtens, exercitiis legis, delitiis quippe ſuis diurnis ac nocturnis, deditum.*

(95) *Aliter David confitetur de ſeipſo:* Meine Gebeine ſind erſchrocken; mein Hertz bebet; HErr/ deine Pfeile ſtecken in mir/ deine Hand drücket mich; Ich ſorge für meine Sünde *&c. Quod, ita mihi optata contingant, non eſt peccatorum obliviſci.*

catus ſit, (96) & in hoc gradu etiam maxime expedit, omnium quæ nos tangunt, obliviſci, ſolumque DEVM recordari. Secundo, quia quoties neceſſe erit, ut anima ſuos nævos confiteatur, DEVS ipſi eos omnes ſatis ob oculos ponet. Tunc enim ipſe DEVS animæ examen inſtituet, quod multo felicius cedet, quam ſi anima (97) propriis viribus & conatibus ipſum ſuſciperet. Hoc autem ad gradus præcedentes non pertinet. In illis enim gradibus in quibus cum anima adhuc actuoſa ſit, propria induſtria, in omnibus magis vel minus pro ratione profectuum ſuorum uti poteſt. Animæ vero in hoc gradu conſtituta obſervent, quæ hactenus dicta ſunt, nec ſimplices ſuas occupationes mutent. (98) Idem obſervabunt etiam ratione S. Cœnæ.



(96) *Sed ſine effuſione Sanguinis Chriſti, per veram fidem apprehenſa & peccatori applicata, nulla fit peccati remiſſio, nulla purificatio a peccato. Talis ac tanta ſecuritas* τῶν ἀπηλγηκότων, *ſive eorum, qui dedoluerunt, Pſalmographum inſtar omnium audiunto, in Maskil ajentem:* Da ich's wolte verſchweigen *&c. Hoc autem, quod Gyoniſtæ ſuadent, vel principio practico officit: Fuge malum & fac bonum.*

(97) *Nondum reperio id evictum, quod pelagianizans Gyonia ſupponit, hominem nempe propriis ac naturalibus viribus de peccatis ſalutariter dolere ſine DEO poſſe. De hujus rationis enim ac generis dolore adhuc egerat. Quin propria hic induſtria ſalutariter uti nequit anima, niſi velit ad deſperationem ſibi viam ſternere. Sic nimirum Jacobus Latomus, ſic Joh. Stöſſelius, ſic Franciſcus Spira nulla amplius miſericordiæ divinæ, nullaque meriti CHRISTI applicatione revocari voluerunt. Sic Ecebolius, Rhetor Conſtantinop. illectus beneficiis Juliani, a Chriſtiana religione defecerat; mortuo autem Juliano, cui epitaphium ſcripſit, calcandum ſeſe præbuit, dicens:* Πατήσατέ με, τὸ ἅλας τὸ ἀναίσθητον, Calcate me, ſalem inſipidum.

(98) *Iterum aliter David, ceu jam dictum & pueris notum eſt:* Meine Gebeine ſind erſchrocken. *Item,* daß die Gebeine fröhlich werden/ die du zerſchlagen haſt.

DEVM operari ſinant, & in ſilentio maneant. (99) DEVS enim melius recipi non poteſt, quam per unum DEVM.

## CAP. XVI.

*1. De LECTIONE & precibus vocalibus minus frequenter faciendis.*

*2. Nullæ niſi ſint præceptæ, contra attractum faciendæ.*

MOdus legendi in hoc gradu hic eſt, ut, quam primum modica recollectio ſentitur, a lectione deſiſtendum, & in requie manendum putes. Pauca legenda ſunt, et, quam primum attractus ad interiora ſentitur, a lectione abſtinendum. Statim ac anima ad ſilentium internum evocatur, multis precibus vocalibus ſe onerare non debet; ſed paucas facere. Dum autem eas fundit, ſi quandam difficultatem & renitentiam invenerit, inſimulque ad ſilentium ſe trahi ſenſerit, ſubſiſtat, nec ullo actu violento renitatur, niſi prcees *præceptæ* ſint: nam tales omnino continuandæ ſunt; ſi vero non ſint præceptæ, (100) eas intermittat, quam primum ſe attrahi ſentit ad intra, &, dum eas fundens quandam difficultatem experitur, nullam vim tunc ſibi faciat, nec ulli rei ſe alliget, ſed ſe a Spiritu DEI regi patiatur, tunc omni pietati, modo eminentiſſimo, ſatisfaciet. CAP. XVII.

(99) *At enimvero probatio ſui ipſius non eſt tale, verum cum mortis Dominicæ commemoratione conjunctum, ſilentium. Et ſane, qui hanc intermittit, is DEVM non recipit per unum DEVM, ſed extra DEVM & contra illius mandatum. Id quod etiam non eſt ſilentium in Sione, ſed extra Sionem. Neque enim in votorum DEO placentium exolutione conſiſtit.*

(100) *Ambiguum eſt, quid per preces non præceptas ſibi velit. Etenim hæ nullatenus ſunt admittendæ ab hominibus piis, neque ipſis a DEO permittuntur. Sed ſunt peccata; ſunt cultus electitius, qui DEO diſplicet. Igitur non certo tantum tempore, aut duntaxat in caſu difficultatis perſenſæ, ſed nunquam non ſunt intermittendæ. Atque ita in capite ſequente vocari petitiones propriæ videntur, fideique opponuntur.*

## CAP. XVII.

*De Petitionibus. Propriae* (101) *cedunt petitionibus Spiritus DEI.*

*2. Hic derelictioni & FIDEI locum dare convenit.*

HIc porro anima ea amplius a DEO petere non poterit, quæ magna facilitate olim petebat; nihil tamen hoc move-



(101) *Obſcurius explicat mentem Gyonia. Proinde a variis varie hic accipitur & notatur. Haud abſimiliter Molinoſius colloquia orantium cum DEO irridet, reprobatque, tanquam impudentia & temeraria, quippe ad DEVM Optimum Maximum convincendum putidiuſcule tendentia. Si vero deſiſtendum a precibus & lectione; hoccine eſt orare indeſinenter? Precum itaque lectionem ac recitationem exteriorem ob neſcio quam difficultatem & renitentiam interiorem intermittere eſt res periculi plena, & cum tentatione DEI conjungi poteſt. Renitentia enim illa a vetere Adamo proficiſci poteſt, quo Satanas, ſuggeſtionibus internis Chriſtiano oranti illudens, uti conſuevit. Unde ſtudium & affectus indeſinenter orandi turbatur. His motibus non reſiſtere in fide, eſt tentationibus Satanæ ſuccumbere. Indeſinenter, inquam, orandum eſt, Spiritu Sancto nos haudquaquam ad preces proprias, ſed a DEO mandatas pellente. Hic enim eſt Spiritus gratiæ & precum, qui docet nos orare, quique interpellat pro orantibus, tantum abeſt, ut per difficultatem & renitentiam precantes regat. Quin veteri Adamo, nos a ſtudio precum identidem retardanti, omni vi reſiſtendum & obluctandum eſt, perinde; ac Abrahamus advolitantes aviculas a ſuo ſacrificio removit. Hinc affirmat CHRISTVS, regnum cœlorum pati vim, & a violantibus abripi. Sic Jacobus Patriarcha non dimiſit DEVM, ceu religioſiſſimus ejusdem colluctator, usque dum benedictionem ab eo nanciſceretur. Hæc vis DEO grata eſt, qua homo fidelis non modo dominium pravæ concupiſcentiæ, ſed & ope Spiritus Sancti DEVM ipſummet ſubigit, ac vincit invincilem, ſponte ſeſe hoc pacto vinci & gratioſe volentem.*

moveatur: Nam tunc ſpiritus pro ſanctis petit, (102) quod bonum, perfectum & voluntati Divinæ conforme. Spiritus enim adjuvat infirmitates noſtras: nam, quid oremus, ſicut oportet, neſcimus; Sed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus Rom. VIII. v. 26. Imo plus dicam, conſilia Divina juvare oportet, quæ ſunt, ut anima omnibus ſuis operationibus denudetur, (103) ut Divinæ earum loco ſubſtituantur. Sinite igitur DEVM operari, nec ulli rei (104) proprio motu inhærete: nam quantumvis bona vobis videatur, talis ſane non eſt, ſi vos averterit ab hoc, quod DEVS a vobis exigit. Voluntas autem DEI cuivis bono anteponenda eſt: deponite omne proprium intereſſe, & in derelictione fideque vivite. (105) Hic jam anima modo excellentiſſimo operari incipit.

## CAP. XVIII.

*1. De defectibus (aut naevis venialibus) e quibus, (ſine tamen inquietudine turbante animumque adimente, ad DEVM confugiendum.*

*2. Via huic contraria debilitat, & praxi animarum humilium opponitur.*

Quam

(102) *Quaſi vero Spiritus S. in ipſismet ſanctis non gemitus excitet inenarrabiles. Hoc quippe facit, non denudando animam operationibus devotis; verum excitando potius in ipſa operationes devotas.*

(103) *Primum denuo redit falſum, quod videlicet homo pius in precando ſeſe habeat pure paſſive, & non per vires gratiæ cooperetur Spiritui Sancto. Repeto ſuperiora: Renatus in precando etiam ſeipſum* ἁγνίζει.

(104) *De proprio motu naturæ concedo; de proprio motu gratiæ nego; ſi per rem intelligitur* τὸ τοῦ Πνεύματος.

(105) *Hic jam novellus terminorum luſus pullulat, quando proprium intereſſe pro propria, per vires gratiæ producta, actione, ad noſtram ſalutem directa, ponitur, & derelictioni ſui ipſius fideique, ejusdem cauſæ ac principio, unde fluit, opponitur.*

QVam primum in aliquem nævum incidimus aut aberravimus, tam primum ad intra revertendum. Cum enim hic nævus a DEO nos averterit, ſtatim etiam ad ipſum nos convertere, & pœnitentiam, quam ipſe dictitat, pati debemus. Maxime etiam expedit, ne de nævis admiſſis inquietudinem animo concipiamus. Inquietudo enim ex ſuperbia arcana & amore propriæ excellentiæ oritur. (106) Sine inquietudine enim, quid ſimus, non experimur; ne etiam ita animum deſpondeamus; nam ita valde debilitaremur; reflexio enim in noſtros nævos inquietudinem ipſo nævo multo pejorem creat. (107) Anima autem vere hu-

 milis

(106) *Nihil minus, quam ſuperbiam arcanam, redolet inquietudo Davidica, cum pſallit:* Ich heule für Unruhe meines Hertzens / *item,* Meine Gebeine ſind erſchrocken / *item,* Es iſt kein Friede in meinen Gebeinen für meiner Sünde. *Nihil minus inſuper arguit Confeſſio publicani, a longe ſtantis, oculos non attollentis, & pectus percutientis, quam ſuperbiam arcanam & amorem propriæ excellentiæ. Omnino DEUS, ut iratus Judex, ſumma cum ſubmiſſione & reverentia timendus eſt.*

(107) *Manaſſis exemplum hic Gyoniæ reclamat inſtar omnium. Ejus peccata multitudinem arenæ marinæ exuperabant. Ecqui ergo reflexio in hæc ipſis major eſſe poterat? Ecqui inquietudo animi propter hæc ſuborta? Vir ſecundum cor DEI David exclamat, peccata ſuum caput ſupergredi in Lehaskir, h. e. Pſalmo trigeſimo octavo; ecqui ergo inquietudinem ipſis nævis pejorem conciperet? Studio partium nimis faverit Gyonia, oportet, dum hæc vel docuit, vel ſcripſit. Aliud profecto loquuntur quærimoniæ Pſalmodicæ de manu DEI gravata ſuper Pſalte, de ſucco ejusdem ſiccato, quam pænitentiam Silentiariorum. Quod quidem exemplum Davidicum neceſſitatem hujus reflexionis ſummam edocet. Enimvero hoc Molinoſianum Gyoniæ conſilium non ad certas tantum perſonas, ſed univerſaliter ad omnes pænitentes dirigi, patet ex allegato paulo poſt Pſalmo XXXII, 10. qui, interprete Paulo Rom. IV. itidem non ad certas tantum perſonas, verum univerſaliter ad omnes pænitentes attinet.*

milis reſpectu ſuarum infirmitatum haud ita contremiſcit; ſed, quo magis ſuam miſeriam ſentit, eo magis in DEVM recumbit, ipſiq; firmiter inhæret, quippe quæ auxilium Divinum ſibi maxime neceſſarium animadvertit. Hæc methodus ideo vel maxime obſervanda, quia eam DEVS commendat: Vobis declarabo, inquit Pſalm. XXXII. v. 10. quid facere debeatis: viam monſtrabo, qua incedere oporteat, & oculo meo vos indeſinenter regam.

## CAP. XIX.

1. *De diſtractionibus & tentationibus per reditum ad DEUM debellandis.*
2. *Hanc viam ſancti tenuere, & alia quævis periculoſa eſt.*

CVm diſtractiones & tentationes oriuntur, directe debellandæ non ſunt. Nam hoc pacto magis irritantur, & anima ab adhærentia ad DEVM, (108) quæ ipſius unica occupatio eſſe debet, retrahitur. Sed viſus ab iis tantum avertendus, (109) & DEO magis magisque accedendum, non ſecus, ac ſi infanti monſtrum occurreret, id ſane debellandum non aggrederetur, imo ne quidem intueretur; ſed

(108) *Vbi autem & quando peccatur, & peccatores a DEO diſtrahuntur; tum DEO anima ipſorum adhærere nequit. Eſ. LIX, 2. Pſ. LI, 13.*

(109) *Iterum diſſentit a Gyoniſtis Rex & Propheta David, in eodem Pſalmo v. 3. confeſſus: Peccatum meum ſemper eſt coram me. Proin viſus a peccato non eſt avertendus; ſed penitius iſtud introſpiciendum, examinandum, abominandum. Conſiderandæ quoque ſunt, non obiter aut perfunctorie, ſed curatius, iſtius accuſationes, quas contra peccantem ciet coram Supremi Judicis tribunali: ubi certe præſentiſſima foret peccantis damnatio, niſi fiducialis ad miſericordiam DEI, per CHRISTVM partam, inſtitueretur appellatio.*

ſed in gremium matris, (110) ut tutus eſſet, ſe reciperet. DEVS in medio ejus: non commovebitur; adjuvabit eam DEVS ante auroram Pſ. XLVI. v. 6. Infirmi enim ſumus: ideo, cum hoſtes noſtros aggredimur, ſæpe nimium ſauciamur, ſi non totaliter debellamur. Sed quando in conſpectu DEI manemus, ſenſim ſenſimque corroboramur. Hæc fuit (111) methodus Davidis: Poſui, inquit, Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam a dextris mihi eſt: non commovebor. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcit in ſpe Pſ. XV. v. 8. 9. item Exod. XIV. v. 14. dicitur: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.

## CAP. XX.

1. *PRECATIO, qua oratio & ſacrificium per ſimilitudinem thuris divinitus omnino adumbratur.*
2. *De annihilatione noſtri in hoc ſacrificio.*
3. *De ſoliditate & fructibus huius precationis juxta ipſummet Evangelium.*

PRecatio, oratio & ſacrificium ſimul eſſe debet. Oratio juxta Divinum Johannem eſt thus, cujus fumus ad DEVM aſcendit, unde dicitur Apoc. VIII. v. 3. Angelum in manu thuribulum habuiſſe, in quo incenſa erant de orationionibus Sanctorum. Precatio eſt effuſio cordis in conſpectu DEI. Effudi animam meam in conſpectu DEI, dicebat Samulis mater 1. Sam. I. v. 15. Ideo etiam Magorum, ad pedes

(110) *Simile hoc tum demum valet, cum fides vera & ſincera contritioni jungitur, ceu exemplo publicani liquet. Nec vero fides illa in meris conſiſtit opinionibus (id quod Hoburgiani ſibi perſuaſum habent) neque in una tantum parte ex tribus illis, quas novimus; ſed ex ſimul ſumptis & conjunctis, ſalutari quippe notitia, ſalutari aſſenſu, & ſalutari fiducia, Chriſtum apprehendente.*

(111) *Verba Pſalmi hujus literaliter non ſunt hominis peccantis, ſed Meſſiæ τȣ̃ ἀναμαρτήτȣ.*

pedes Infantis JESV provolutorum, precatio per thura, quæ obtulerunt, ſignificata eſt. Precatio nil aliud eſt, quam certus amoris ardor, qui animam liquefacit, diſſolvit, ſubtilizat & ad DEUM evehit. Dum autem liqueſcit, odorem ſuum dat. Hic odor autem ex charitate, qua ardet, provenit; quod apprime Sponſa expreſſit, dicens: Dum esſet Dilectus in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Accubitus autem fundus animæ. Cum autem in eo DEVS eſt, & anima in ejus præſentia fidelis ſtat, tum hæc præſentia DEI animæ duritiem ſenſim ſenſimque liquefacit & diſſolvit. Dum autem liquefit, odorem ſuum dat. Quapropter Sponſus, videns ſuam Sponſam liquefactam, quamprimum locutus eſt, & dixit ei: Quæ eſt illa, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi? Cant. III. v. 6. Tali modo aſcendit anima ad DEVM. Sed hoc fieri non poteſt, priusquam amoris ardore deſtruatur & annihiletur. (112) Hæc anni-

(112) *Bonis malum, veris falſum rurſus admiſcetur. Ecquæ enim ſequela? Anima orans, thuris inſtar in altum ſurgens, evaneſcit. E. deſtruitur & annihilatur qua ſubſtantiam ſuam. Procedit a genere ad ſpeciem affirmative. Nimirum evacuatio animæ a creaturis, quod jamjam innuimus, eſt vel* Biblica *Matth. XVI, 24. Abneget ſeipſum Chriſti imitator Marc. VIII, 34. Luc. XIV, 33. Abrenunciet omni illi, quod habet; ubi Scholion Lutheri:* Verzage an allen ſeinen Kräfften / ſuche Gnade / und bitte Hülffe in Chriſto 1. *Cor. VII, 29 -- 31. Ploret, tanquam non plorans, gaudeat, tanquam non gaudens; vel* Hyperbiblica & ſuperſtitioſa, theils wenn man meinet / man müße auch die Sinnen von allen ſichtbaren Dingen abziehen / und dieſelben einwerts kehren; theils / wenn man / wie die meiſten *Myſtici* thun / auch gemäßigte Liebe ſeiner ſelbſt vor Sünde hält / und den Menſchen aus ſich ſelber ziehen will; theils / wenn man GOttes Wort und *Sacramenta* auch unter die eüßerlichen Dinge rechnet / und das Hertz davon abziehet / anbey die Heil. Sprachen und Bibel ſelbſt vor das *objectum* hält / welches man verleugnen ſolle. *Vid. Dn. D. V. E.* Löſchers Andachts-Früchte *pag.* 899.

ånnihilatio eſt ſtatus ſacrificii, religioni Chriſtianæ omnino eſſentialis. Anima igitur hoc amoris ardore ſe deſtrui & annihilari patitur, ut homagium ſublimitati & ſuperioritati DEI præſtet, uti ſcriptum eſt Eccleſ. III. v. 21: Solus DEVS magnus eſt, & ab humilibus honoratur. Deſtructio enim noſtri Eſſe ſuperioritatem Eſſe DEI deprædicat. Eſſe proprium ceſſare debet, ut in nobis ſpiritus Verbi ſit. Ut autem veniat, vitam noſtram Ipſi cedere debemus, nobismet mori, & in nobis vivet. Jeſus Chriſtus in Sacrificio Miſſatico ſtatus myſtici emblema (113) eſt. Cum enim per verbum Presbyter Chriſtus vocatur, locum ipſi cedit ſubſtantia panis, ita, ut ſola accidentia remaneant: Ita pariter noſtrum eſſe τῷ eſſe Chriſti cedere, & e vita ceſſare debemus, ut in nobis vivat; Ita mortuis vita noſtra cum Chriſto in DEO abſcondita erit Col. III. v. 3. (114) Tranſite in me omnes, inquit DEVS Eccleſiaſtici XXIV. v. 26. (115) qui concupiſcitis me. Quomodo vero in eum tranſire poterimus, niſi ex nobismet egrediamur, & in eo perdamur? Annihilatio igitur ſola id efficere poteſt. Illa eſt



(113) *Veluti ſupra confeſſio auricularis & enumeratio ſingulorum peccatorum, tanquam divinitus mandata, falſo præſupponebatur: Ita & h. l. Sacrificium Miſſaticum falſo præſupponitur, ceu a DEO mandatum. Etenim, uti ipſamet transſubſtantiatio in Cœna Domini fingitur a Pontificiis: Ita & transſubſtantiatio, ceu ajunt, abyſſalis atque identificatoria cum DEO, eſt commentitia.*

(114) *Abſcondita eſt non transſubſtantiative; ſed comparative ſcil. α)* mundo *(Vid. B. Oſiandri paraphr. h. l.) utpote qui nec Patrem cœleſtem, nec Filium DEI, nec Spiritum Sanctum novit. β)* in habitudine ad futuram gloriam, *eamque plenius manifeſtandam. Nequedum enim apparuit, quod futuri ſumus; nec oculus vidit, nec auris audivit.*

(115) Προσέλθετε *eſt in Græco, idque nihil minus, quam transſubſtantiationem indicat. Alind quippe eſt* προσελθεῖν, *aliud* μετελθεῖν *aut* μετουσιάζεσθαι.

vera precatio, qua honorem, potentiam & gloriam DEO in ſecula ſeculorum damus Apoc. V. v. 13. Hæc eſt precatio veritatis, qua adoratur Pater in ſpiritu & veritate Joh. IV. v. 24. In ſpiritu: nam hoc pacto (116) proprium noſtrum orandi modum, humanum & carnalem, relinquimus, & puritatem ſpiritus, qui in nobis precatur, adipiſcimur. In veritate: quia creatura hoc modo in veritate TOTIVS DEI & Nihili creaturæ conſtituitur. Plures enim non ſunt, quam hæ duæ veritates, TOTVM & NIHIL; cætera omnia ſunt mendacia. Non poſſumus TOTVM DEI honorare, quam per noſtram annihilationem. Quamprimum annihilati ſumus, DEVS, qui nullum vacuum pati poteſt, quin id impleat, nos de ſemetipſo implet. O utinam fructus, qui ex hoc orationis modo in animam redundant, noſſemus: nil aliud, quam ita precari cuperemus! Hæc oratio eſt margarita pretioſa & theſaurus abſconditus. Qui eum invenit, lubentiſſime omnia vendit, quæ poſſidet, ut illum emat Matth. XIII. v. 44. Eſt porro flumen aquarum vivarum, quæ in vitam æternam ſaliunt Joh. VII. v. 38. Hac adoratur DEVS in ſpiritu & veritate; hæc, inquam, eſt praxis puriſſimi Evangelii. Annon enim Chriſtus ait: Regnum DEI intra vos? (117) Regnum DEI duplici modo ſumitur; Primo, quando videlicet DEVS in nobis tam abſolutus eſt Dominus, ut nihil amplius ſit, quod ipſi (118) reſiſtat,

(116) *A genere ad ſpeciem affirmative perperam concludi, notiſſimum eſt. In ſpiritu orandum. E. in ſpiritu μεθουσιαστικῷ. Fallit & fallitur, qui hanc nectit ſequelam.*

(117) *Eſt intra nos regnum DEI, non qua miſſalem ſacrificationem, nec qua noſtri ipſorum thurificationem, in fumum abeuntem, nec qua transſubſtantiationem eſſentiæ ſuæ annihilativam & abolitivam; ſed qua juſtitiam, pacem & gaudium in Spiritu S. Eſt intra nos non qua cultum electitium, ſed qua verum, ſincerum & in Verbo DEI præſcriptum.*

(118) *Latet ὕπουλον irreſiſtibilitatis Janſeniſticæ ſub hac herba.*

reſiſtat. Tunc *interius* noſtrum vere eſt regnum DEI; Secundo, quando nempe DEVM poſſidemus. Cum enim ipſe ſit ſummum bonum, regnum DEI habemus, quod eſt felicitatis culmen & finis, propter quem conditi ſumus. Dictum enim eſt: DEO ſervire & regnare finis, propter quem conditi ſumus, eſt, ut DEO fruamur in hac vita. Hoc autem pauciſſimi cogitant.

## CAP. XXI.

*In quo reſpondet ad accuſationem, qua quidam hanc orationem* otii & inactionis *arguunt, & evincitur animae in ea actuoſitas, quae ſe exerit per actionem nobilem, fortem, tranquillam, liberam, ſimplicem, ſuavem, moderatam & certam, ſed a DEO dependentem & ab ipſius motione, per ſpiritum, per & propter communicationem ſuae vitæ & unionis, actam, excluſa ſola activitate inquieta, & philavtia inquinata.*

CVm quidam de oratione ſilentii aliquid audiverint, falſo ſibi perſuaſerunt, in ea animam ſtupidam, mortuam & ſine actione manere; ſed certiſſimum eſt, quod in ea agat modo multo perfectiori, quam unquam, priusquam (119) ad hunc gradum pervenerit, egerit. Tunc enim ab ipſo



(119) *Aliud autem eſt dixiſſe, PRIVSQVAM adſit oratio ſilentii; aliud dixiſſe, quidnam IN EA oratione ſilentii ſit præſto. Fœmina noſtra Pſeudomyſtica denuo ſibimet obloquitur, & inactivitatem ſuperius tam operoſe defenſam, & cum annihilatione ſui & transſubſtantiativa in eſſentiam divinam converſione conjunctam, jam cum perfectiori etiam actione conjungit, adeoque ſibimet denuo contradicendo, nihil minus, quam ſibi contradixiſſe, videri vult. Quæ ſunt vagæ mentis ſigna, & ingenii in DEO parum quieſcentis, neque convictione Spiritus Sancti, neque conſcientiæ recte informatæ perſuaſione gaudentis, argumenta.*

DEO movetur, (120) & per ipſius ſpiritum acta agit. Non negamus, quin agere oporteat; ſed per dependentiam a motu gratiæ agendum aſſe dicimus, miro prorſus modo. Apud Ezech. I. verſ. 15. 22. hoc præfiguratum eſt. Propheta enim videt rotas, in quibus erat ſpiritus vitæ: cum ſpiritu eunte ibant, elevabantur & deprimebantur, prout nempe a ſpiritu motæ erant, qui in ipſis fuit; ſed nunquam retro-

(120) Ita moveri a DEO, ut creatura, & tamen non ipſa creatura, verum DEVS agat, *ſapit irreſiſtibilitatem Janſenianam; idque contra fatum Salvatoris: Ego volui; vos noluiſtis; & Stephani: Reſiſtitis ſemper Spiritui Sancto. Sapit inſuper doctrinam Malebranchii de cauſis occaſionalibus, de qua conſulendus B. D. Grapius Theol. recens controv. contin. cap. II. de Provident. p.* 43. *& ſeqq. h. e. creaturis, quæ ſaltem agant per deſideria, DEVS autem ſolus vere & realiter; id quod ſimilitudine Bernardi Connoris, Medici Angliſani, utcunque illuſtratum ivit: Vti lutum cæcis oculis applicatum non eſt cauſa; ſed tantum occaſio, cur cæcitatis cauſa a ſupremo luminis Autore tollatur. Atque hinc pariter ortum putat Pietiſmum Carteſianum, de quo Celeberr. Dnn. Autores Relat. innox.* 1701. *p.* 455: Vor andern vermeinen die Carteſianer/ daß/ wo ihre Lehre von den *cauſis occaſionalibus* angenommen würde / müße die Welt nothwendig frömmer werden. Denn ſo lange man glaube / daß natürliche Dinge wirckliche Urſachen/ ſonderlich deßen/ was uns wol oder übel thut / wären / ſo lange würde das Hertz von GOtt auf dieſelben gezogen / man liebe und fürchte ſie mehr / als GOtt / und mache ſich alſo viel Götzen: Da hingegen/ wenn man mit ihnen lehrete / GOtt ſey allein die wahre *cauſa agens efficiens*, Er ſey es allein / der da mache / daß uns etwas wol oder weh thue / alle andere Dinge aber wären nur Gelegenheiten/ *cauſæ occaſionales* hierzu/ weil GOtt ſich einmahl entſchloßen hätte / nur in ihrer Gegenwart ſolche Wirckungen zu verrichten / ſo würde man nicht ſie / ſondern GOtt allein hochachten.

retrogrediebantur. Anima pariter pati debet ſe (121) moveri, & elevari a ſpiritu vivificanti, qui in ipſa eſt. Hunc modum ipſius actionis, & nullum alium ſequi debet. Motus autem ille eam nunquam, ut retrogrediatur, id eſt, ut in creaturam reflectat, nec, ut ſe in ſemetipſam recurvet; ſed, ut viam cœptam continuet, & ad ſuum ſcopum properet, impellit. Hæc quidem animæ actio eſt quieta: quando vero proprio motu (122) agit, actio non eſt ſine quadam vehementia, & hoc in cauſa eſt, cur propriam ſuam actionem tunc tam facile dignoſcat: Cum vero dependenter a Spiritu DEI agit, ipſius actio tam libera, facilis & naturalis eſt, ut agere vix ſibi videatur. Eduxit me in latitudinem; ſalvum me fecit, quoniam dilexit me. Pſ. XVIII. v. 20. Quamprimum enim anima in tendentia verſus centrum (123) conſtituta, id eſt, intra ſe per recollectionem retracta, eſt, tam primum etiam agit actione fortiſſima, quæ eſt illapſus ille animæ in centrum, a quo attrahitur. Hæc autem actio rapiditatem cæterarum omnium actuum infinities ſuperat, cum nulla rapiditas major ſit, quam rei ad

 centrum

(121) *Simile iſthoc confundit mobile neceſſarium & coactum, quale erant rotæ Ezechieliticæ, cum agente libero, quod per funes hominum & ſine coactione attrahitur. Nimirum quos Spiritus DEI ducit, hi ſunt filii DEI. Ductio autem non coacti, ſed volentis & ſequacis eſt. Poſſunt enim, qui ad cœlum ducuntur, etiam reſiſtere & nolle.*

(122) *Hoc autem ſenſu proprius motus foret naturalis; cujusmodi in ſpiritualibus nihil valet. Et vero David ab hoſtibus liberatus Pſ. XVIII. non niſi per ſanam quandam tropologiam, qua Gyoniſtæ hic deſtituuntur, huc accommodari poteſt.*

(123) *Saltus a Matheſi ad Myſteria temerarius; cumprimis ad Pſeudo-myſteria, cujusmodi eſt illapſus animæ in centrum Deificatorium. Quid enim rapiditas commentitia cum viſione rotarum Ezechielis?*

centrum ſuum tendentis. Eſt igitur actio quædam (124) ſed tam nobilis, quieta & tranquilla, ut anima agere vix ſibi videatur, eo quod naturaliter quaſi agat. Cum rota mediocriter tantum agitatur, facillime diſtinguitur: ſi vero cum rapiditate volvatur, nihil amplius in & de ea dignoſci poterit. Itidem anima, quæ in requie prope DEVM manet, agit: ipſius autem actio nobiliſſima & pacatiſſima eſt. Quo autem tranquillior eſt, eo majori cum rapiditate currit, quia tunc a ſpiritu ſe agi & moveri patitur: Spiritus autem hic nullus alius, quam ipſe DEVS, qui nos attrahit, & ſuo attractu facit, ut ad eum curramus. Hoc probe noverat Divina ſponſa, dum ait: Trahe me, & curremus Cant. I. v. 3. (125) Trahe me, o Divinum meum centrum, ex imo mei ipſius, & per vim tui attractus potentiæ, & ſenſus ad te current. Hic ſolus attractus unguentum eſt, (126) quod ſanat; & thus, quod attrahit. Curremus, inquit porro, ad odorem unguentorum tuorum Cant. I. verſ. 2. Hic odor eſt vis attractiva fortiſſima, quam tamen anima liberrime ſequitur, quique, cum ſuavis & fortis ſimul ſit, per vim attrahit, & per dulcedinem animam extra ſe rapit. Trahe me, inquit ſponſa, & curremus. Hic de ſe & ad ſe loquitur: Trahe me; hiſce verbis unitas centri, quæ attrahitur, ſignificatur. Curremus; hac voce correlatum denotatur, & curſus omnium potentiarum & ſenſuum,

(124) *Eſt igitur actio non-actio, actio patientis, qua talis; eſt actio, ipſimet agenti, & ſimul paſſio, ipſimet patienti ignota.*

(125) *Non immediate, neque coacte aut irreſiſtibiliter, ſed, uti ſæpius dixi, vult ceciniſſe: Fac, ut trahar per funes hominum, ſeu mavis, humanos, ſuaves, amabiles, tractatione non evacuatoria ex imo mei ipſius, aut amittendo meam ipſius ſubſtantiam, verum allectoria & invitatoria ad nuptias tum gratiæ, tum gloriæ.*

(126) *Cum de attractu neſcio quo annihilatorio & introverſorio hic paſſus verborum intelligatur, petit denuo principium non ſecus, ac omne id, quod h. l. inſequitur.*

um, qui attractum e fundo animæ ſequuntur. Otioſi igitur haud eſſe, ſed agere debemus, verum dependenter a Spiritu DEI, qui nos animare debet, qui in & per ipſum vivimus, movemur & ſumus Actor. XVII. v. 28. (127) Hæc ſuavis autem a Spiritu DEI dependentia abſolute neceſſaria eſt, utpote per quam anima brevi tempore ad ſimplicitatem & unitatem, in qua condita fuit, pervenire poteſt. Fuit enim condita una & ſimplex DEI ad inſtar, (128) ut hoc pacto finem ſuæ creationis adipiſci poſſet. Multiplicitatem igitur noſtrarum actionum dirigimus, ut ſimplicitatis & unitatis DEI, (129) ad cujus imaginem conditi ſumus, Gen. I. v. 27. participes fiamus. Spiritus DEI eſt unicus; & multiplicitas ipſius unitati officit. DEI unitati inferimur, quando cum ipſius Spiritu unimur, habentes quippe unum & eundem cum eo Spiritum: multiplices vero ad extra ſumus in iis, quæ ipſius voluntates attinent, (130) nec tamen ex unitate egredimur, cum ipſius voluntates exequimur. Certum eſt, quod DEUS modo infinito agat: cum igitur nos a Spi-

(127) Effective, *qua eſſe & operari noſtrum;* *non* abſorptive & transſubſtantiative. *Illud qui negaret, & immediatum proximumque Conditoris concurſum elevaret, concurſu remoto, per productionem virtutis primævæ, neutiquam excluſo, in Gallia Claudius Pajonus, Miniſter Aurelianenſis, diſcipulus Moſis Amyraldi, fuit. Grap. l. c. p. 39. & ſeqq. Hoc aſſerens Gyonia, principium pertinacius petendo, vanitatibus inhiare ſuis non ceſſat.*

(128) *Quæ imaginem DEI accidentalem, non ſubſtantialem. Quod utinam Satanas ipſis haud perſvaſiſſet deſiderium Deiformitatis; neq; etiam animabus Pſeudo-myſticis id etiamnum perſvaderet!*

(129) *Participatio hæc emanativa & ſimplicitatis, & unitatis DEI, quam ſubintelligit Gyonia, neutiquam Gen. I, 27. deſcripta eſt: nec imago, ceu equidem jamdum monui, ſubſtantialis, qualis eſt ſolus Filius DEI Col. I, 15. verum accidentalis.*

(130) *Quaſi vero DEUS & Spiritus DEI plures haberent voluntates.*

a Spiritu DEI agi ſinimus, multo magis ſane actuoſi ſumus, quam ſi propriis viribus ageremus: patiamur itaque nos a Sapientia regi. Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia Sap. VII, 24. (131) Maneamus igitur in dependentia ab ipſius actione, & fortiſſime agemus. Omnia per Verbum facta ſunt, & ſine eo nihil factum eſt Joh. I. v. 3. Cum autem nos conderet DEVS, ad ſuam imaginem & ſimilitudinem nos creavit, & Spiritum Verbi inſpiravit per ſpiraculum vitarum, quod nobis dedit, cum conderemur ad imaginem DEI, per participationem vitæ Verbi, quod eſt imago Patris ſui. VITA autem hæc eſt una, ſimplex, pura & ſemper fœcunda. Poſtquam vero hanc eximiam imaginem Diabolus per peccatum maxime fædavit, oportuit, ut Verbum, cujus ſpiritus nobis in creatione inſufflatus eſt, ad eam reparandam veniret. Verbum, inquam, id facere debuit, quoniam eſt imago Patris. Imago autem non agendo, ſed actionem reparantis patiendo, reſtituitur. Actio

(131) *Num ſapientia, tribus perſonis Divinitatis contradiſtincta, a Gyonia h. l. intelligatur, ambiguum eſt. Cæterum Græcitas Philonis Judæi ita fluit:* Πάσης γὰρ κινήσεως κινητικώτερον ἡ σοφία. *Non,* Omnibus mobilibus *in concreto; verum in abſtracto:* Omni motu mobilior eſt ſapientia. *Sapientiam certe perſonalem, quæ eſt Filius DEI, minus intellexiſſe videtur, utut paulo poſt de Verbo loquatur, per quod omnia facta ſunt. Quandoquidem Salvatoris mundi ne verbulo quidem meminit Philo in toto hoc libro, ſine ulla dubitatione eo, quod in eum non crediderit, verum eundem contempſerit, obſervante Heideggero in Alethea Pandamatore de Libris Apocr. V. T. p. m. 270. Confunduntur inſuper in explicando loco Joh. I, 3. 4. vita originalis cum effectiva, eſſentialis cum perſonali, independens cum participata. Imo præterea, Spiritum Verbi per ſpiraculum vitarum nobis inſpiratum eſſe, fruſtra affirmatur; quandoquidem non probatur, neque probari poteſt.*

Actio igitur noſtra unica hæc eſſe debet, ut (132) idonei fiamus, qui actionem DEI pati, & Verbo, ut ſuam imaginem reſtituat, locum dare poſſimus. Quemadmodum in imagine, quæ ſe moverat, nihil depingi poſſet: Ita etiam omnes motus, quos proprio ſpiritu edimus, admirabilem pictorem impediunt, & multarum linearum curvarum cauſa ſunt. In pace igitur manere, nec nos movere debemus, niſi ipſe nos moveat. Jeſus Chriſtus vitam habet in ſeipſo Joh. V. v. 26. Oportet igitur, ut vitam communicet omni, (133) quod vivere debet. Spiritus motionis Divinæ eſt ſpiritus Eccleſiæ: anne vero Eccleſia ſterilis, otioſa & infœcunda eſt? Non ſane! ſed omnino agit, verum dependenter a Spiritu DEI, qui eam movet & regit. Iam ſpiritus hic alius im membris, quam in Eccleſia eſſe non poteſt. Ut igitur membra ſpiritum Eccleſiæ habeant, neceſſario ſpiritum motionis Divinæ (134) habere debent. Actio igitur, quæ præeunte motione Divina peragitur, omnium nobiliſſima eſt. Certum enim eſt, quod omnes res ſuum valorem a nobilitate, magnitudine & eminentia (135) ſui principii ſortiantur. Unde actiones ex principio Divino fluentes Divinæ dicuntur. Actiones vero Creaturæ, quantumvis bonæ, humanæ tantum, aut, ſi multum eſt, virtuoſæ, cum videlicet auxiliis gratiæ peraguntur, appellantur. Jeſus Chriſtus dicit, quod vitam in ſe habeat. Cæautem entia mutuatam tantummodo vitam habent. Verbum vero vitam in ſe habet: cum autem ſuæ naturæ communica-



(132) *Novus Pelagianiſmus in Enthuſiaſmo; prout, dato uno abſurdo, inſequi plura conſveverunt.*

(133) *Hoc ſecundum quid, generaliter & in theſi orthodoxa verum; in hypotheſi autem fanatica, emanativa, Spinoſiſtica, erroneum eſt.*

(134) *Spiritus autem ille non operatur immediate aut enthuſiaſtice, ſed per media ordinaria. Conf. Dn. D. Jägeri Exam. Quietiſmi pag. 11. & ſeqq.*

(135. *Ab Athenis ad Sionem iterum haud conveniebat aucupari argumentationem.*

municatum ſit, (136) hanc ſuam vitam hominibus communicare maxime cupit. Laborandum igitur, ut hæc vita in nos defluat; id quod aliter fieri non poteſt, quam per annihilationem (137) vitæ Adamiticæ propriæque actionis, quod Div. Paulus aſſerit 2. Cor. V. v. 17. Si quis in Chriſto Jeſu, nova eſt creatura: vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia nova. Hoc, inquam, non niſi per deſtructionem noſtri & noſtræ actionis, (138) cui actio DEI ſubſtitui debet, fieri poteſt. Non igitur ſtatuimus, nil agendum eſſe: ſed non niſi dependenter a Spiritu DEI operandum eſſe volumus, ut hoc pacto ejus actio actioni creaturæ ſubſtituatur. (139) Hoc autem non fit, niſi cum conſenſu creaturæ. Conſentit autem creatura, dum ſuam actionem moderatur, & ſenſim ſenſimque cedit, donec actio DEI actioni creaturæ ſuccedat. Salvator noſter agendi rationem in Evangelio pulcherrime declarat: Martha quidem bona peragebat; eam tamen carpit Chriſtus, quia ea proprio ſpiritu ſuſcipiebat. Spiritus hominis inquietus & turbulentus eſt, unde, quanquam maxime actuoſus eſſe videatur, pauca tamen operatur. Martha, inquit Chriſtus, de

(136) *Quod Verbum ſuæ naturæ communicatum ſit, equidem non lego; quod Filius DEI communicarit carni & ſanguini, Hebr. II, 14. lego.*

(137) *Imo potius effective & per œconomiam gratioſam, quam per evacuationem annihilativam. Siquidem participatio nequaquam annihilat id, cui participatur.*

(138) *Nova petitio τῦ ἐν ἀρχῇ, & crambe toties cocta, totiesque incaſſum appoſita. Quaſi vero Divus Apoſtolus 2. Cor. V, 17. de fabula iſthac noſtræ ſubſtantiæ annihilatoria aut deſtructoria cogitaſſet.*

(139) *Si Spiritus Sancti actio ſubſtituitur in hoc negotio creaturæ. Ergo actio creaturæ prorſus deſinit; atque ita creatura nihil amplius agit. Quæ, uti adhuc obſervavimus, ſine connexione legitima ſtatuuntur.*

de multis ſolicita es; (140) ſed unum eſt neceſſarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea Luc. X. verſ. 41. 42. Quid igitur elegit Maria? Pacem nempe, tranquillitatem & requiem. Ab operatione enim ceſſare videtur, ut ſe a Spiritu DEI moveri patiatur; vivere ceſſat, ut Jeſus Chriſtus in ſe vivat. Quapropter, ſi Chriſtum ſequi velimus, neceſſe eſt, ut nos ipſos abnegemus, & proprias operationes (141) exuamus. Eum enim ſequi non poſſumus, niſi a Spiritu DEI acti ſimus. Ut autem in nos veniat Spiritus Jeſu Chriſti, noſter ipſi locum cedere debet. Quicunque enim adhæret Domino, inquit Paulus, unus eſt ſpiritus cum eo 1. Cor. VI. v. 17. & David olim dicebat: Mihi autem adhærere DEO bonum eſt, & ponere in DEUM ſpem meam Pſ. LXXIII. v. 28. Quid autem aliud eſt hæc adhærentia, quam unionis principium: unio vero ſuum initium, progreſſum, finem & conſummationem habet. Principium unionis eſt tendentia ad DEUM: quando enim anima ad interiora eo modo, (142) quem ſupra indicavimus, converſa eſt, tunc in propenſione verſus centrum ſtat, magnamque tendentiam ad unionem experitur:



(140) *Quinimo ſi creatura eſt ſimilis Marthæ actuoſæ; E. non poteſt non agere. Et ſic Gyoniſtæ ſimul & eodem reſpectu agunt, & non agunt, ſeſeque magis & magis intricant.*

(141) *Velut abnegatio iſthæc, a CHRISTO præcepta, juxta voluntatem CHRISTI fieri debet, in Verbo expoſitam: Ita & proprias naturæ operationes exuere debemus; at gratiæ non item.*

(142) *Hæc autem converſio ad interiora ſ. ad centrum animæ etiam ſupra confutata & repudiata eſt. DEUS non convertit Mathematice aut Geometrice, verum Prophetice & Apoſtolice. Prophetæ autem & Apoſtoli terminis ejusmodi Philoſophicis non utuntur eum ob finem, ut directorium reale, avtocratoricum ac definitivum articulorum fidei dogmatumque ſacrorum obtinerent, ſed eum duntaxat ob finem, ut organice ac diaconice ſenſui literali eruendo Textibusque Biblicis interpretandis inſervirent.*

hæc autem tendentia eſt initium. Poſtea adhæret ei: hoc autem fit, cum propius ad DEVM accedit, deinde cum ipſo unitur, & tandem una fit, & hoc dicitur unus ſpiritus cum eo fieri, tunc ille ſpiritus e DEO egreſſus in ſuum finem revertitur. (143) Hac igitur via, quæ eſt motio Divina, & ſpiritus Jeſu Chriſti, incedendum. Div. Paulus inquit, quod nemo ſit Chriſti, niſi ipſius Spiritum habeat Rom. VIII. v. 9. Ut igitur Chriſti ſimus, a proprio noſtro vacuefieri, Ipſius vero Spiritu repleri debemus. Eodem loco probat Div. Paulus neceſſitatem hujus motionis Divinæ: Omnes, inquit Rom. VIII. v. 14 qui Spiritu DEI aguntur, hi ſunt Filii ejus. Spiritus itaque Filiationis Divinæ eſt Spiritus motionis Divinæ; quapropter ſtatim addit Apoſtolus: Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum DEI, in quo clamamus: Abba Pater! Spiritus autem hic non alius, quam Chriſti, per quem filiationem participamus. Ipſe autem Spiritus teſtimonium

(143) *Percepimus jam ſuperius, alium converſionis modum a Scriptura nobis oſtendi, videlicet, a tenebris ad lucem, a poteſtate Satanæ ad DEVM. Cum converterer, ait Jeremias, agebam pœnitentiam, eandemque non Metaphyſice aut naturaliter, verum ſupernaturaliter atque viribus gratiæ prævenientis, præparantis, operantis atque cooperantis adjutus continuabam. Hic non ſufficit motio Metaphorica, non tendentia ad finem, non appetitio finis ſibi connaturalis in eo, qui agit propter finem; ſed requiruntur auxilia gratiæ, & petuntur, & impetrantur ab Eo, qui dat velle & perficere. Credimus enim, nos propriis rationis noſtræ viribus IESV CHRISTO Domino noſtro fidere, aut ad eum accedere nullo modo poſſe; ſed Spiritus S. nos per Evangelium vocavit, ſuis donis illuminavit, in recta fide ſanctificavit & conſervavit. Hæc ſimplicitas catechetica præſtat omnibus tenebris ac tricis Gyonianis. Recte itaque B. Meiſnerus Part. I. Phil. Sobr. Qv. gen. adverſus Kekermannum pertendit, ſimplices quoque homines, qui Logicæ & Metaphyſicæ ignari ſunt, a Spiritu S. illuminari. B. Muſ. Lib. I. de uſu princip. rat. p. 225.*

monium reddit ſpiritui noſtro, quod filii DEI ſimus. Quamprimum anima ſe moveri ſinit a Spiritu DEI, teſtimonium tam primum de filiatione Divina experitur, quod ipſi eo gratius, quia per ipſum certior fit, quod ad libertatem filiorum DEI vocata ſit, quodque Spiritus, quem accepit, non ſervitutis, ſed libertatis Spiritus ſit; tunc anima libere & ſuaviter, inſimulque fortiſſime & infallibiliter ſe agere ſentit. Spiritus motionis Divinæ in omnibus adeo neceſſarius eſt, ut Div. Paulus loco ſupra citato hanc neceſſitatem in ignorantia eorum, quæ petere debemus, fundet. Spiritus, inquit, adjuvat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus Rom. VIII. v. 26. Hic locus multa habet in receſſu. Si enim ipſi ignoramus ea, quibus indigemus, (144) nec neceſſaria nobis, ſicut oportet, poſtulare poſſumus; ſi ſpiritus, qui in nobis eſt, cujus motioni nos ſubjicimus, pro nobis poſtulat, & quidem gemitibus inenarrabilibus: annon pati debemus, ut ſolus agat? Hic Spiritus eſt Spiritus Verbi, qui ſemper axauditur: Scio, inquit Chriſtus, quod me ſemper exaudis Joh. XI. v. 42. Si enim hunc Spiritum in nobis precari ſineremus, ſemper exaudiremur; ſed cur hoc? Doce nos, maxime Apoſtole, Doctor Myſtice, Domine interioris! Ideo, inquit Paulus Rom. VIII. v. 27. quia, qui ſcrutatur corda, ſcit, quid deſideret



(144) *Ignorantia petendorum hic non tribuitur fidelibus qua vires gratiæ; verum duntaxat qua vires naturæ. Ergo concidit nexus; & fruſtra hinc infertur, fideles poſt converſionem ſeſe tantum paſſive habere; eſtque manifeſta fallacia a dicto ſecundum quid. Etſi ergo ſine Spiritu S. non poſſumus CHRISTVM appellare Dominum; tamen cum Spiritu S. poſſumus. Vid. B. Balduin. h. l. Res eodem recidit, ſi ex verbis antecedentibus (Spiritus ſublevat infirmitates noſtras) infirmitatem petentium cum B. Calixto Expoſ. lit. in h. l. p. m.* 93. *& cum B. Seb. Schmidio Paraphr. in Ep. ad Rom. pag. m.* 488. *pro cauſa hujus ignorantiæ alleges.*

deſideret Spiritus, quia ſecundum DEVM poſtulat pro ſanctis, hoc eſt: Hic Spiritus nihil, niſi conveniens ſit cum voluntate Divina, poſtulat: voluntas DEI autem eſt, ut ſalvi & perfecti fiamus; poſtulat igitur id, quod ad perfectionem noſtram neceſſarium eſt. Cur igitur negotiis ſuperfluis obruimur, & implicamur multiplicitate viarum noſtrarum? Cur nunquam dicimus: Quieſcamus? (145) DEVS enim nos invitat, ut in ipſum noſtras curas devolvamus, & conqueritur apud Eſaiam, quod vires, divitias & theſauros animæ in millia vana & externa impendamus, cum tam facile ſit, bonorum, quæ concupiſcimus, potiri. Quare, inquit Eſa LV. v. 2. appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur anima veſtra in pinguedine. O utinam ſciremus, quanta ſit felicitas eorum, qui ita DEVM audiunt, & quam efficaciter anima eorum corroboretur. Omnia ſilere in conſpectu Domini Zach. XI. v. 13. (146) & cum apparet, ceſſare debent. DEVS impulſurus nos, ut in ipſum recumbamus, aſſerit per Eſaiam, quod nullum periculum timendum habeant, qui ipſius directioni ſe committant, quia ſingularem eorum curam ſuſcipere velit. Nunquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filii uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. O ſolatiflua verba! Quis dire-

(145) *Quieſcamus non a reſipiſcendo, credendo, pie vivendo, idque per vires dativas, in regeneratione nobis collatas; verum quieſcamus, & ſpiritualem ſabbatiſmum celebremus ab omnibus peccatis, rebusque vanis, fluxis, caducis, tranſitoriis & mundanis. Hæc eſt Quies DEO grata; non illa.*

(146) *Intelligitur h. l. ceu innuimus, non ſilentium imaginariæ convictionis, verum devotæ admirationis & obſequioſæ auſcultationis, qua CHRISTO prædicanti nemo obloqui, aut doctrinæ ipſius obluctari & contradicere debeat, ceu Biblia Erneſtina h. l. annotant.*

directioni Divinæ in totum ſe commiitere adhuc dubitabit? (147)

## CAP. XXII.

*1. 2. Diſtinctio actuum in internos & externos; in hoc ſtatu actus animæ ſunt interni, ſed habituales, continui, directi, ſubſiſtentes, profundi, ſimplices, imperceptibiles, ſicuti ſuavis & continua depreſſio in oceanum Divinitatis.*

*3. Anima in hoc ſtatu tales edit actus.*

*4. Qui per ſimilitudinem illuſtrantur.*

ACtus hominis ſunt vel interni, vel externi. Externi ſunt, qui circa objectum quoddam ſenſibile ad extra verſantur, quibus nulla in ſe bonitas vel malitia moralis ineſt; ſed illam demum a principio interno, ex quo proficiſcuntur, ſortiuntur. De his mihi non eſt ſermo, ſed tantum de actibus internis, (148) qui ſunt actiones animæ, quibus ad certa

(147) *Commode! ſi quidem id fiat modo divinitus in Scripturis mandato, non ex* ἐθελοθρησκείας, *neque* δοκησισοφίας *pleno ſpiritualitatis propriæ, præpoſteræ ac ſupinæ, præjudicio, cujusmodi adhuc in Gyonia utplurimum taxare oportuit. Quo quid eſt nobilius in ſuo eſſe, eo fit deterius in ſui corruptione; ſiquidem muſcæ venenifere optima quæque unguenta corrumpunt; quod toties obſervavimus.*

(148) *Non per fertiles agros, verum per ſenticeta incedit, qui hæc legit. Noſtrarum erit partium, veluti hactenus, ita porro anguem ſub herba latentem detegere & indigitare. Neque enim pauci ſunt, qui, charybdin ſecuritatis profanæ evitantes, in ſcyllam deſperationis hic, accedente præſertim melancholicæ complexionis vitio & profundiore Myſticiſmorum horum æſtimio, nihil tale cogitantes inciderunt. Proinde cordatiori Domino Lecturo dijudicandum relinquo, an non nimis molliter ac tenuiter Dn. Arnoldus ſenſerit* im Geiſtl. Wegweiſer *p. 20. 21. de ſpinis ejusmodi Molinoſianis, quando B. D. Kühnius reprehenderat falſam hypotheſin*, daß die Anklebungen ausge=

certa objecta applicatur; ab aliis vero avertitur. Cum ad DEVM applicatus, actum alterius naturæ facio, a DEO avertor, & ad res creatas magis vel minus, prout actus vel intenſior vel remiſſior eſt, convertor; ita etiam, cum intentos habeo oculos in creaturam, ſi ad DEVM me convertere velim, neceſſe eſt, ut actum edam, quo a creatura avertar, & ad DEVM convertar: unde quo perfectior actus eſt, eo etiam perfectior eſt converſio. Plurimi vero actus requiruntur, donec ad DEVM perfecte convertar. Nonnulli equidem unico actu, alii vero ſenſim ſenſimque convertuntur; interim tamen meus actus me eo ſemper impellere debet, ut ad DEVM intentis omnibus animæ viribus convertar, juxta conſilium Eccleſ. XXX. v. 24. Congrega cor tuum in ſanctitate DEI. Idem faciebat Davides Pſ. LVIII. v. 10. Fortitudinem meam, inquit, ad te cuſtodiam. Hoc autem fit per recollectionem fortem ad interiora, uti explicat Scriptura: Redite prævaricatores ad cor veſtrum Eſ. XLVI. v. 8. Per peccatum omnes a corde noſtro avulſi ſumus, ſolum autem cor DEVS poſtulat: Da, fili mi,

cor

---

ausgewurtzelt/ die Unvollkommenheiten abgethan/ und die Paßionen ausgerottet werden könten / *quæ omnino Perfectiſmum Pontificium, Arminianum, Anabaptiſticum & Weigelianum redolet.* Welches/ wenn es ſo bloßhin ohne rechte Evangeliſche Erklärung angeſehen wird/ freylich manchen/ ſonderlich denen/ die ihre *paſſion* noch allzuſehr lieben und heegen/ anſtößig vorkommen muß; denen aber/ welche zum wenigſten gerne von dem Leibe dieſes Todes erlöſet werden wollen/ kan es etwa in einigem unſchuldigem Verſtand ſo ferne erträglich ſcheinen/ daß ſie zum wenigſten nach mehrern Sieg über die Unreinigkeit und Unruhe des Hertzens verlangen und ringen/ auch von allen Befleckungen des Geiſtes ſich zu enthalten 2. *Cor. VII*, 1. *Modo ne hæ ipſæ Molinoſi & Gyoniæ opiniones, eædemque erroneæ, quas ὑπὲρ ὃ γέγραπται conceperunt, defenderunt, compluribusque aliis perſuaſerunt, inquinamenta ſpiritus* 2. *Cor. VII*, 1. *a quibus nos DEVS mundari jubet, forent.*

cor tuum mihi, (149) & oculi tui meas vias cuſtodiant, Proverb. XXIII. v. 26. Cor ſuum autem DEO dare velle nil aliud eſt, quam oculis, viribus & vigore animæ in DEVM indeſinenter defixis, ipſius voluntatibus obtemperare velle. Ad DEVM itaque converſi manere debemus, quamprimum ad ipſum applicamur. Cum vero homo inconſtans ſit, & anima longa conſuetudine ad externa propendeat, facile extravagatur, & a DEO avertitur. Quamprimum autem ſe ad externa converſam deprehendit, tamprimum per actum ſimplicem, quo fit reditus ad DEVM, in eum iterum recumbere debet. Tunc ipſius actus tam diu ſubſiſtit, quam diu converſio durat, ob frequentem converſionem ad DEVM per regreſſum ſimplicem & ſincerum. Cum autem plures actus interni conſuetudinem inducant, anima habitum converſionis & actus, qui poſtea habitualis quaſi fit, contrahit. Tunc enim anxie in hunc actum non debet, ut eum formet, inquirere, (150) quoniam ſubſiſtit; & ne quidem talem inquiſitionem ſine magna difficultate inſtituere poteſt. Imo per hanc inquiſitionem e ſuo ſtatu extrahitur; quod tamen nunquam fieri debet; quia tunc in habitu hic actus ſubſiſtit, & ipſa



(149) *Ex corde autem oriuntur atque proveniunt malæ cogitationes; quo nomine iſtud prius eſt depurandum a labis originariæ reatu ac dominio, nec non a peccatorum actualium ſtudio, quam DEO habitandum detur. Id quod non fit per introverſionem aut recollectionem ad intra, ſed per fidem ad extra, nimirum ad vulnera ejusdem in cruce; ad paſſionem et ſanguinolentum ejusdem meritum. Invocandus eſt ante omnia Pater miſericordiarum, ut in nobis creet cor novum. Alias ſub larva Chriſtianiſmi practici merus occulitur Phariſaiſmus, & cultus, ab otioſis ingeniis citra divinam revelationem excogitatus. Id quod eſt aliud Evangelium præter illud, extra illud, & ultra illud, quod annunciatum eſt; quoq; cor datur Satanæ, in Angelum lucis ſeſe transformanti.*

(150) *Quaſi vero inconverſus non debeat eſſe de ſuamet converſione ſolicitus. Secus profecto Pſaltes animatus fuit, de quo ſuperius jamdum audivimus, quod inquiſiverit in peccata ſua, idque ſatis anxie, eademque apertius fuerit confeſſus.*

anima in converſione & amore habituali conſtituta eſt. Melius igitur eſt, per actum ſimplicem ſoli DEO adhærere, quam per multos alios actus hunc actum ſcrutari. Magna facilitate quandoque diſtincte tales actus, ſed ſimpliciter, fieri poterunt: hoc autem indicium eſt, quod anima ad ſe, unde egreſſa erat, redeat: cum autem hoc factum eſt, in quiete manendum. (151) Falluntur igitur, qui putant, nullos actus faciendos eſſe: nam actus ſemper fiunt, ſed tamen diverſimode pro ratione & diverſitate graduum. Hic locus, qui multis ſpiritualibus, eo, quod eum ob difficultatem ſuam aſſequi non potuere, crucem fixit, planior fiet, ſi ſolicite actus diſtinguantur, quorum nonnulli ſunt tranſeuntes & diſtincti; alii continui; alii directi, alii tandem reflexi. Non poſſunt omnes primos facere, nec cæteri pariter ab omnibus fieri poſſunt. Primos actus facere debent hi, qui evagati ſunt, retrovertendo ſcilicet per actionem diſtinctam, magis vel minus intenſam, prout evagatio major vel minor fuit. Ita v. g. quando evagatio levis eſt, unus ex ſimpliciſſimis actibus ſufficiet. Actum continuum dico, quo anima tota ad DEVM converſa & intenta eſt per actum quendam directum ſubſiſtentem, (152) quem non renovat, niſi

(151) *Vbi vero in mente & intellectu renatorum peccatum originis eſt reſiduum, ibi non eſt quietum; nec poteſt homo ſeſe exuere omnibus irritationibus & ſuggeſtionibus mundanis, nec poteſt ſemetipſum ad DEVM ita convertere, ut mens ei ſemper adhæreat defixa, nullis vel affectuum, vel concupiſcentiarum procellis turbata. Neque enim perverſe judicarunt Conimbricenſes, hoc ipſum, ceu ſummum aliquod malum, ad pœnam lapſus eſſe referendum, quod intellectus noſtri actus in hac vita tam valido cingere munimento nequeamus, ut phantaſia ſe miſcere non poſſit; idque ἄτακτον tantiſper nos infeſtet, quantiſper huic corrupto ſtatui maneamus obnoxii. B. D. Günther. l. c. p. 27.*

(152) *Æmula Deiſtarum formula, à forma ſanorum verborum abhorrens; cui etiam deeſt legitima evidentia. Id quod de Gyonia ab*

niſi interruptus, quia nempe ſubſiſtit. Anima autem ſic diſpoſita in charitate manet; qui autem in charitate manet, ille etiam manet in DEO Joh. IV. v. 16. Tunc anima eſt in habitu quodam quaſi agendi, in quo acquieſcit. Hæc quies tamen animæ non eſt otioſa: nam conjunctum tunc habet actum ſemper ſubſiſtentem, qui eſt dulcis delapſus in DEUM, qui eum ad ſe magis magisque attrahit. Anima vero, dum hunc attractum fortem ſequitur, & in amore ac charitate perſtat (153) in hunc amorem magis magisque deprimitur, ita, ut actio tunc multo fortior & propmtior ſit, quam erat olim actus ille, quo ſe recolligebat. Cum itaque anima per hunc actum fortem & profundum ad DEUM in totum convertatur, illum (actum ſcilicet) non diſtinguere poteſt, quia eſt directus, non reflexus; quod cauſa eſt, cur ſupra memorati minus ſane dicant, animam in hoc ſtatu nullum actum edere; ſed falluntur: nam nullum



*ab aliis quoque pronunciatum*, daß ihre Lehren dunckel ſeynd und unverſtändlich / *B. D. Feuſtking. l. c. p.* 337. *Qui autem in tenebris ambulat, is odit lucem.*

(153) *Cur autem non potius in fide, quæ per charitatem eſt efficax, quæque cum lucta & aliis actibus ſyndromis conjungitur, uti exemplo Jacobi conſtat? Suſpicor tamen, Gyoniam ſanctas cujusvis generis cogitationes & conſiderationes hic non excludere. Quod eatenus a Noſtris probatur, quatenus externarum ceremoniarum operi, quod vocant, operato effectum juſtificandi ac ſalvandi, quod cæteroquin Pontificii ſolent, non transſcribit. Neque etiam ad ſculptam imaginem devotiones atque orationes vult dirigi, ſed ad DEUM. Quod omnino magis animæ conducit, quam cucullus, flagellatio ſui ipſius, jejunium hypocriticum, peregrinatio ad loca ſanctorum. Conf. Dn.* Uhſens Kirchen-Hiſtor. *lib. II. cap. 5. p.* 591. *& Dn. Arnoldus* Geiſtl. Wegweiſers Anleitung *p.* 11. *& ſeqq. ubi de Molinoſo, Gyoniæ Magiſtro, varia in mitiorem partem afferuntur, cujus tamen exceſſus Quietiſtici aſſeclis potius Molinoſtianis, quam ipſi Molinoſo a Viris eruditis imputari perhibentur pag.* 19. *Aliud autem evicit ex propriis Molinoſi verbis D. Jägerus l. c.*

lum unquam mobiliorem edidit. Dicant igitur potius, quod ſuum actum tunc non amplius diſtinguat, non vero, quod nullum edat. Concedo quidem, quod anima propriis viribus actus hosce non edat; ſed trahitur, & attractum ſequitur. Amor eſt pondus, (154) quod eam deprimit, non ſecus, ac ſi quis mari immergeretur, deprimeretur in infinitum, ſi mare infinitum eſſet, & impetu rapidiſſimo, quem tamen non animadverteret, dum in profundiſſimum rueret. Improprie igitur loquuntur, qui dicunt, animam (in hoc ſtatu) nullos actus edere: nam omnes in omni ſtatu actus edunt, etſi non eodem modo. Sed error ex eo eſt, quod omnes, qui ſciunt, actus faciendos eſſe, eos diſtinctos & ſenſibiles edere vellent, quod tamen impoſſibile. Senſibiles enim actus ad ſolos incipientes, cæteri vero ad provectiores pertinent. (155) Si quis prioribus actibus, qui maxime debiles ſunt, & animam parum promovent, ſolum

(154) *Sed amor in ſe non habet hoc pondus; imo nec fides apprehendens DEUM, habitualiter aut entitative ſpectata; verum virtute correlati ſui & objecti ſalvifici, nempe IESU CHRISTI apprehenſi, eſt ejusmodi pondus, quo valemus per eum, qui nos potentes reddit, in quo invenimur non habentes juſtitiam noſtram, ſed eam, quæ eſt ex fide Chriſti, in Domino quippe habentes juſtitiam & robur. Hoc, inquam, pondus non transſcribendum erat amori, verum Chriſto fide apprehenſo & fiducialiter amato, cujus amor eſt fortis; ſicut mors, & zelus gravis, ſicut infernus, vertente B. Seb. Schmidio illud, quod legitur Cant. VIII, 6. ubi ingemiſcimus cum B. Luthero:* Mitten im dem Tod anficht — das thuſt du / HErr / alleine *&c. & cum Diſcipulis: Domine, ſerva nos, perimus, Matth. VIII, 25.*

(155) *Si per ſenſibiles actus hic intelliguntur actus illi, quos vulgo reflexos appellitamus, equidem nego aſſertum. Paulus enim, provectioribus ſine ulla dubitatione accenſendus, ait: Scio, cui credidi. 2. Tim. I, 12. Perſequor, ſi etiam apprehendam, Phil. III, 12. Hoc certe non tantum eſt infantium in CHRISTO. Id quod Molinoſianis atque Gyoniſtis ſiſtimus expendendum.*

ſolum immoraretur, ultimis ſemet fruſtraret; item, qui ultimos primis præteritis ſuſciperet, pariter ſeipſum deciperet. Omnia igitur ſuo tempore fieri debent Eccleſ. III. v. 1. (156) Quivis ſtatus ſuum initium, progreſſum & finem habet. Principio immorari parum juvat: nulla enim ars datur, quæ non & ſuum progreſſum habeat. In principio cum ardore laborandum; poſtea vero fructibus laboris ſui fruendum. Quando navis in portu eſt, non ſine difficultate nautæ eam inde extrahunt, & in altum maris remis agunt: (157)



(156) *Salomo h. l. nihil minus, quam* ἀκολουθίαν *& ordinem actuum divinorum & ſupernaturalium in anima vocibus* עת *aut* זמן *deſignat, verum perpetuam viciſſitudinem ac mutationem rerum naturalium ac moralium, quarum ſingulis ſuum tempus ac hora jam conſtituta ſit a DEO. Ita B. Geierus in Koh. p.* 86. 87. *Nimirum* ein Zeit-Wechſel / Stunden-Wechſel / *q. d.* Zeit und Stunden ſind ungleich und veränderlich; Da allen natürlichen / ſittlichen / künſtlichen und bürgerlichen Dingen eine gewiße Zeit und Stunde von GOtt beſtimmet / mithin eine gewiße Währung und Daurung geſetzet iſt / welcher-nach Exempels-weiſe ein natürlich Ding untergehet / und nachgehends ein anders entſpringet oder entſtehet: *id quod contextus, inde usque ab exordio Libri hujus evidenter oſtendit.*

(157) *Quando vero navis in ſyrtes eſt acta, ecqui, malum, amplius commode promovebitur? Gyoniſtica ingenia non ad leves quosdam remigant anfractus, ſed, uti adhuc monſtratum eſt, periculoſiores. Ecqui ergo Neoterici in medio navigabunt, ſi viderint hanc ſcyllam, quod nempe ſimpliciter impoſſibile ſit, deſperatæ malitiæ hominem per media externa, Verbum & Sacramenta converti; & tamen approbaverint iſtam charybdin, quod externa media, Verbum & Sacramenta virtutem convertendi in actu primo ſemper retineant. Quodſi duo contradictoria eſſe vera poſſe, in praxi hac Pſeudomyſtica, cum Weigelio pertendant; næ! cultum rationis, ſub obſequium Chriſti captivatæ, in cultum irrationalem tandem inſubide transmutent, oportet. Quæ quidem certe non genuina, ſed ſpuria praxis Chriſtianiſmi eſt.*

cum autem hoc factum eſt, eam, quocunque volunt, vertunt: Ita, cum anima adhuc in peccatis eſt, & creaturis adhæret, non ſine magna difficultate inde extrahitur: nam ſolvenda ſunt vincula, quibus ligatur; poſtea laborandum, ut per actus fortes ad intra retrahatur, & magis magisque e ſuo portu abducatur: dum autem abducitur, ad intra vertitur, quo noſtra peregrinatio tendit. Cum autem navis hoc modo in mari conſtituta eſt, quo plura ſpatia in ea peragrat, eo magis a terra abducitur: quo vero longius ab ea diſtat, eo minori difficultate agitur: imo navigatio tunc tranquilliſſima fieri incipit; navis a terra tandem tam procul abducitur, ut remi inutiles facti removendi ſint. Quid autem tunc agit nauta? Nil aliud ſolet, quam vela dare ventis, & proram regere. Extendere vela autem nihil aliud eſt, quam orationem ſimplicis expoſitionis coram DEO facere, ut per ſuum Spiritum nos movere velit. Gubernaculum vero tenere, eſt impedire, ne cor e via recta deflectat, ſuaviter ipſum reducendo, & juxta motus DEI regendo, qui ſenſim ſenſimque illud cor occupat, prout ventus ſenſim vela inflat, navemque agit. Quamdiu autem navis auras habet ſecundas, tamdiu nauclerus & nautæ a doloribus quieſcunt. Quanta, quæſo, tunc ſine labore emetiuntur ſpatia? Multo plura ſane per horam, vento navem agente, quieti & ſine labore peragrant, quam per longum tempus facerent, ſi revocatis prioribus laboribus & reaſſumptis remis eam agere vellent. Nam præterquam quod defatigarentur, omnes eorum labores fruſtranei eſſent; imo per eos curſum navis impedirent (158) Eadem agendi ratio nobis

(158) *Navis autem ſecundum Verbi gnomonem vehi debet, ſine quo nec per aquam Flatus aut Spiritus divini poteſt, nec feliciter agitari. Et hic vellem, Novatores disquiſitionem Fechtianam de canone interno ſibi commendatiorem haberent, neque ſibi ampliorem, quam cæteris, experientiam in ſpiritualibus tribuerent. Neque enim in ſolio* καρδιογνωσίας *DEVS ipſos locavit; neque ipſorum mores tam irreprehenſibilem ubique moderationem faciunt teſtatam.*

nobis tenenda eſt de noſtro interiori. Sic enim agendo, mediante nempe auxilio & motione Divina, plus provehere-mur, quam alia quavis via, adhibitis omnibus viribus. Quando tempeſtas ſuboritur, & auræ adverſæ adflant, ancora ejiciatur, navis retineatur. Ancora nihil aliud eſt, quam fiducia in DEO, & ſpes in ipſius bonitate, donec malacia & auræ ſecundæ redeant. Ita olim David agebat Pſ. XL. v. 1. Expectavi, inquit, Dominum, & intendit mihi. (159) Oportet igitur Spiritui Divino ſe committere, & ipſius motibus ſe ſubjicere.

## CAP. XXIII.

*1. 2. De ſterilitate concionum, de ſceleribus, erroribus, hæreſibus, & quod hæc omnia mala exinde proveniant, quia populi orationem cordis non rite edocentur.*

*3. 4. 5. Quæ tamen eſt methodus omnium facillima, ad captum idiotæ cujusvis accommodata.*

*6. 7. 8. Exhortatio ad Paſtores, ut eam inſtillent animis ſuorum auditorum, nec eos orationibus amoris methodici adeo prægravent.*

SI omnes, qui in id operam collocant, ut animas lucrifaciant, CORDA ANTE OMNIA captare conarentur, & ad orationem vitamque interiorem perducerent, multo plures homines converterentur, & in converſione perſiſterent, quam fieri ſolet. Quam (160) diu vero externa tantum

(159) *Literaliter hoc prædicatum non de Pſalmographo Davide, verum de MESSIA PATIENTE effertur. Hebr. X, 5. 7. Alii vero ſunt motus* ψιλανθρώπȣ *pœnitentis; alii vero* Θεανθρώπȣ *patientis. Illi ſunt renovatorii; hi meritorii & ſatisfactorii.*

(160) *Quaſi vero CHRISTVS & SPIRITVS CHRISTI mediis externis, Verbo & Sacramentis, non præſentiſſime adſint, iisdemque non indiderint divinam virtutem atque efficaciam; & quaſi iſthæc externa animarum pharmaca nequeant internum & ſufficientem in anima-*

tum adhibentur media, & dum animæ ad Chriſtum, per applicationem cordis ad eum, perduci deberent, mille præceptis, quæ externam diſciplinam tantummodo attinent, onerantur, fructus pauciſſimi inde reſultant. Si PAROCHI hanc viam ſuis auditoribus probe inſtillarent, PASTORES, ſuos greges cuſtodiendo, antiquorum anachoretarum mentem induerent; Aratores arando in converſatione cum DEO ſtarent; Operarii, qui laboribus ſe macerant, (161) fructus æternos tandem ſuorum laborum caperent, omnia

*animabus producere effectum. Quaſi inſuper præcepta Prophetarum & Apoſtolorum ad externam diſciplinam tantummodo attinerent, & corda neutiquam penetrarent. Imo quaſi ſteriles ſint conciones, quia ſteriles ſubinde ſunt animi auditorum; ita quidem certe, ut, quia populi orationem cordis non recte exercent, eandem quoque non recte edoceantur. Supponunt enim ita ſentientes, extra ſtatum tentationis hæc externa quidem valere; in caſu autem tentationis inſufficientia eſſe, nec victoriam ab hoſte in ſumma animæ ariditate deportare poſſe. Putat itaque noſtratis Pſeudo-Magiſtra, per media illa externa ad orationem vitamque interiorem homines perduci non poſſe; cum tamen, Siracide monente cap. XXXIV, 8. 9. ſine mendacio compleatur lex ſive doctrina ſacra. Vernacula noſtratis verſio ſignificantius :* Man darf keiner Lügen darzu / daß man das Geboth halte / und man hat gnug am Wort GOttes / wenn man recht lehren will. *Eſt hoc Gyoniæ conſilium affectatio Pſeudo-anachoretiſmi, eo tendens, ut jubeatur anima in ſe deſcendere, in ſua vacuitate ſubſiſtere, nihil cogitare, nihil obſervare, nihil conſiderare; quæ ſit oratio vitaque interior.*

(161) *Sed ſi Parochi, Paſtores, Aratores & Operarii vel maxime ſatagunt rerum ſuarum, & auditores nihiloſecius malitioſe reſiſtunt; ne ſic quidem omnia vitia brevi tempore eradicantur. Cor purificatur per fidem Actor. XV, 9. fides accenditur per auditum Verbi; hoc oritur a prædicatione miniſterii. Huic qui reſiſtit, is Medici ſupremi pharmaco reſiſtit, & cor habet minus ſanabile, quoad reſiſtit.*

omnia vitia brevi tempore eradicarentur, & omnes auditores ſpirituales fierent. Quando enim cor ſemel purificatum eſt, cætera omnia facili negotio corriguntur: quapropter DEVS ſemper Cor poſtulat. Hac via ebrietas, blaſphemiæ, impudicitiæ, inimicitiæ & furta, quæ vitia apud ruricolas maxime graſſari ſolent, evellerentur; Jeſus Chriſtus ubique tranquille regnaret, & ubique locorum Eccleſiæ facies renovaretur. Corruptio (162) enim interna hæreſes in mundum invexit. Si itaque integritas interna reſtitueretur, omnes neceſſario caderent. Error ſolas animas a fide & oratione vacuas invadit. Si fratres errantes docerentur ſimpliciter credere (163) & orationem facere,

L multo

(162) *Neque vero illa tantum; ſed & repudium veritatis & amplexatio mendaciorum; quam cauſam ipſe Spiritus S. allegat 2. Theſſ. II,* 11.

(163) *Hoc autem non eſt ſimpliciter credere, quando Gyonia hoc ſcribit, quod jam ſequitur, & quando inter dogmata Quietiſtica iſta palmaria ſunt, credere,* daß der Verdruß geiſtliche Bücher zu leſen / und nach dem Gebeth kaltſinnig Seyn ein gutes Zeichen ſeyn / daß einen der Höchſte höher ruffe / daß man durch die Betrachtung des Wortes GOttes zu keiner Vereinigung mit GOtt komme / daß die unterm Gebeth einfallende frembde und böſe Gedancken keinen an der Frucht des Gebeths hindern / daß die Dürre und Vertrocknung der Andacht zum Bethen ein heilſam Werck ſey / daß es kein Beweiß Göttlicher Gunſt und Gnade ſey / wenn ein Menſch eine Andacht und gute Regung in ſeiner Seelen empfindet. *Vrſit inſuper Gyonia eſſentialem atque Deificam unionem hominis cum DEO,* da der Menſch durch eine weſentliche Verwandelung / Verſchlingung / Zerſchmeltzung und Verſenckung in den Abgrund der Gottheit dringet. *Tradit præterea, non fidem, ſed renovationem, ſed ſtudium precum, ſed interna & externa opera, tanquam media & inſtrumenta unionis ſpiritualis; nec requiem extra ſe in DEO, verum intra ſe conſtituit, ſuamque ipſius ſubſtantiam Deificat, & ignoti*

*boni*

multo facilius ad viam veritatis revocarentur, quam per omnes diſputationes. O damnum inæſtimabile, quod ex neglectu *interioris* oritur! Quam ſeveram, quæſo, rationem expoſtulaturus eſt DEVS ab iis, quibus animarum cura demandata eſt, quique hunc theſaurum ipſis non detexere? (163) Fruſtra nonnulli effugia quærunt, dicentes, hanc viam periculoſam, nec omnibus poſſibilem eſſe; ſed oraculum divinum contrarium aſſerit, dicens: Qui fideliter agunt, DEO placent. Sed quodnam, quæſo, metuendum eſt periculum, ſi ambulemus in via, quæ eſt Chriſtus? Ipſi adhæreamus, oculos in eum ſemper defixos habeamus, omnem fiduciam noſtram in ipſius miſericordiam collocemus, & ad puriſſimum amorem omnibus viribus contendamus. Tantum autem abeſt, ut rudiores hujus perfectionis incapaces ſint, quia potius ei maxime idonei, quia nempe dociliores, humiliores & innocentiores ſunt, qui cum minus ratiocinentur, (164) minus mordicus ſuis opinionibus adhærent; cumque rudes ſint, facilius a Spiritu DEI ſe regi patiuntur. Docti contra, propria excellentia ſua & ſufficientia turgentes, inſpirationi Divinæ multo magis reſiſtunt: quapropter DEVS de ſe dicit, quod det Legis ſuæ intellectum parvulis Pſ. CXIX. v. 130. & Proverb. III. v. 32. dicitur ſermocinatio DEI cum ſimplicibus; & Pſ. CXVI. v. 6. Dominus cuſtodit parvulos: graviter afflictus eram, & humiliavit me. Caveant igitur animarum PASTORES, ne parvu-

*boni cupidine intellectum & voluntatem informandam eſſe ſomniat. Quæ dogmata & ſimilia B. D. Kühnius in Quietiſmo Contemplativo dudum confutavit. Vid. B. D. Feuſtking. l. c. p. 333. & ſqq.*

(163) *Quaſi vero non quilibet fidelis Miniſter clamet cum Joele ad auditores: Scindite corda veſtra! & quaſi non utrumque cultum, tum internum, tum externum DEI ab iisdem exigat.*

(164) *Quaſi vero omnes ratiocinationes cultum DEI internum impediant. Quin dantur ratiocinationes divinitus præceptæ, v. g.* Ἀναλογίσαϑε, *Hebr. XII, 3. Quis eſt, qui bonos dies deſiderat? Cuſtodi linguam &c. Pſ. XXXIV, 13. 14.*

parvulos Chriſtum audire impediant. Sinite, inquit JESVS, parvulos, & ne prohibete illis ad me venire Matth. XIX. v. 14. Remedium ad corpus ſæpe applicatur, cum tamen cor ſit, quod ægrotat. Cauſa igitur, cur tam pauci, imprimis ex artificibus, corriguntur, hæc eſt, quia videlicet remedia plerumque tantum externa ſunt, quæ cito transeunt: ſi vero via interioris ipſis rite monſtraretur, externa ſine ulla difficultate renovarentur ac reformarentur. Aſt quid, quæſo, facilius eſt, quam eos docere, ut DEVM in corde ſuo quærant, de eo cogitent, ab ipſo averſi ad eum iterum ſe vertant; omnia animo ipſi placendi agant & patiantur. Hoc pacto enim ad originem omnium gratiarum, in qua omnia ad ſuam ſatisfactionem neceſſaria invenirent, perducerentur. Vos omnes, qui animarum curam geritis, (165) ut per hanc viam, quæ eſt JESVS CHRISTVS, eos ducatis. Ipſemet vos adjuvat per ſanguinem, quem pro illis effudit. Loquimini ad cor Jeruſalem, Eſa. XL. v. 2. o Diſpenſatores gratiarum Divinarum, o PASTORES Verbi Divini, o Miniſtri Sacramentorum, ædificate Regnum DEI. Ut autem hoc feliciter cedat, date operam, ut in CORDIBVS REGNET: nam quemadmodum cor ſolum imperio Divino obicem ponere poteſt, ita, cum ſubigitur, ſuperioritas DEI maxime honoratur. Glorificate ſanctitatem DEI, & vobis fiet in ſanctificationem Eſ. VIII. v. 13. Inſtituite catechiſationes privatas, & in iis docete auditores. Orationem, non quidem meditativam & methodicam: (166) talis

 enim

(165) *Equidem hanc paræneſin non acerbius taxabo. Invertam tamen temerariam Gyoniæ proſphoneſin: Non verus CHRISTVS; ſed Pſeudo Chriſtus eſt via illa, quæ a veritate cœleſti deviat, quæq; non ad vitam, ſed ad deſperationem abducit. Næ! iſta verbum CHRISTI minime ſervat; ſed aliud Evangelium prædicat præter id, quod annunciatum eſt.*

(166) *Cur ergo non meditativam, cum afflictus orans ſuam meditatio-*

enim idiotæ capaces non ſunt; ſed orationem cordis, (167) non cerebri; orationem, quam dictitat Spiritus DEI, non vero ſapientia humana. Hodie, proh dolor! orationes eæ, quod nimio apparatu & arte eas facere oporteat, impoſſibiles factæ ſunt. Paſtores infantes ab omnium optimo parente avellerunt, dum eos dialectum nimis elegantem docere voluere. Ite igitur, pauperculi infantes, & Patrem veſtrum cœleſtem ſtylo vernaculo compellate. Quamvis barbarus & inconcinnus ſit; talis ipſi tamen non videtur. Pater unum ex filiis, inconcinne & confuſe præ amore & veneratione loquentem, quia ſic per os cor loqui animadvertit, lubentius audit, quam alterum eleganti ſtylo ſterilia, vana & arida proferentem. Unicus amoris intuitus ipſi præ omnibus gratiſſimus, & infinities ſignificantior, quam omnia verba & ratiocinia. (168) Multi, qui methodice docere voluere, *Amorem* ipſum amare, multum de hoc amore amiſerunt. Artem amandi docere neceſſe prorſus

*ditationem coram DEO effundat, Pſ. CII, 1. Conf. Tit. Pſalmorum meos ad Dom. II. Adv. Cur non methodicam? Ergone confuſum chaos? Ergone lucem fugiens, ac tenebras ſequens doctrina eſt Gyoniſmus?*

(167) *Qualisnam cordis? Prout decebat, non decepti aut ſeducti, ſed in veritate ambulantis. Qui enim alia omnia agunt Catechetæ, battologi ſunt, non Chriſtologi.*

(168) *Ratiocinia quidem humana, mere talia, in orando & noſtri rejiciunt; a DEO autem excitata comprobant. Quid enim? Anne non Apoſtolus ratiocinari juſſit Rom. XII, 1. rationalem cultum exigendo? In hoc (dilige proximum) tota lex ἀνακεφαλαιοῦται, ut nempe ratiocinando præcepta Decalogica omnia inde deducamus, XIII, 9. Quorſum nos Spiritus Sanctus remittit per interpretem, omni exceptione majorem, Jacobum II, 10. 11. Vnum qui violat præceptum, reliqua omnia violavit. Quid? quod ipſe Chriſtus, Magiſter noſter optimus, veſtigia argumentationum divinarum nobis monſtret, inde, quod DEVS ſit viventium, non mortuorum DEVS, invicte contra Sadducæos arguens, mortuos eſſe reſurrecturos?*

prorſus non eſt. (169) Amoroſa verba non amantibus barbara quidem videntur, amantibus vero naturalia quaſi ſunt. Amare DEVM felicius non diſcimus, quam per actualem ejus amorem. In hac arte rudiores peritiſſimi ſæpe fiunt, quia ſimpliciter & cordate magis id agunt. Spiritus enim DEI verborum lenociniis non indiget. Nam, quando ipſi placet, poſtores ex ovili ad officium Propheticum evehit; tantum abeſt, ut orationis palatium alicui, uti plurimi putant, occludat. Quin potius fores apertæ omnibus patent. Sapientia enim in plateis publicis clamat: Si quis inſipiens eſt, veniat ad me Proverb. IX. v. 4. Inſipientibus dicit: Edite panem, quem vobis do, & bibite vinum, quod vobis præparavi. Annon Chriſtus Patri gratias agit, quod ſua arcana ſapientibus abſcondiderit, parvulis vero ea revelarit Matth. XI. v. 23. (170)

## CAP. XXIV.

*Vias præcedentes excipit tandem* Medium quoddam proximum, *ad unionem cum DEO diſpoſitivum, & magis paſſivum, quam præcedentia. In ea autem juſtitia & ſapientia Divina operantur purificationem paſſivam & rigoroſam animæ,* (171) *quæ ad hanc purificationem*



(169) *De arte amandi Naſoniana equidem effatum largior. Interim animos Fenelonianos expendere jubeo illud Legislatoris Altiſſimi: Diliges DEVM: Diliges proximum. Quæ eſt ars amandi optima.*

(170) *Parvuli autem ſubſunt miniſterio, non obſunt. Alii proinde ſunt parvuli Spiritu divino; alii ſpiritu Schvvenkfeldiano agitati.*

(171) *Gyonia noſtratis, uti in via purgativa purgationem activam, ita nihiloſecius in via unitiva purgationem paſſivam, cum annihilatione propriæ hominis ſubſtantiæ, & tranſitu ejusdem in ſtatum vitæ Deiformis, aſſerere hic more conſueto videtur. Vbinam vero*

***cationem conſenſu tantum paſſivo concurrit, quo anima DEO conformis fit. Ei unitur poſtea, in ſtatum vitae Deiformis tranſit, & Deiformiter agit: de quibus omnibus in tractatu de* Torrentibus Spiritualibus *agitur.***

IMpoſſibile eſt, ad unionem Divinam per meditationem, (172) vel etiam affectiones, vel quamcunque orationem luminoſam pervenire; quod multis rationibus evinci poteſt, quarum principaliores ſunt ſequentes:

PRIMO Scriptura ſacra aſſerit: Nemo DEVM unquam videbit & vivet Exod. XXXIII. v. 20. Totum autem exercitium orationis diſcurſivæ, vel ipſius etiam *contemplationis activæ*, ſub reſpectu finis, & non ſub reſpectu diſpoſitionis ad orationem *paſſivam* conſideratum, eſt exercitium vivum, propter quod D E V M videre, id eſt, cum ipſo uniri, non poſſu-

*vero hanc operationem aſſignat magis juſtitiæ & ſapientiæ, quam miſericordiæ divinæ? Ubinam eandem nobis credendam & a DEO petendam injungit Verbum revelatum, juxta quod omnia ſecundum voluntatem DEI rogare nos decet? Imo vero omnes iſti Spirituales dicti, qui cum Gyonia triplicem viam Pſeudo-pnevmaticam ineunt ac ſequuntur, a recta via aberrant, Sap. V, 6. Dum enim Theologiam cordis hi affectati Magiſtri ambiunt, Theologiam mortis amplectuntur, eo, quod Verbum illud, quod Spiritus & vita eſt, deſerentes, prudentiam carnis & ſpiritualitates proprias obeant. Dum igitur Gallicana iſthæc fœmina vias præcedentes, tanquam remotiores, ad fictitium ſuum Abſolutiſmum pertinentes, ad medium proximum, videlicet ad viam unionis cum DEO deducere allaborat, & ſtatum vitæ Deiformis appetit; deſerit & ipſa fontem aquæ vivæ, deſerit fonticulum Iſraelis (utut eundem perperam obtendat) & ex turbidæ paludis aqua, nempe cultus electitii prætextu ac ambitu mirifico ſeſe affatim bibiſſe, oſtendit.*

(172) *Per Meditationem intelligitur a complurihus ejusmodi oratio activa, quæ contemplationi ſingulari, ſive orationi paſſivæ a Quietiſtis opponitur.*

poſſumus. (173) Quicquid enim ab homine & ipſius induſtria provenit, quantumvis nobile & ſublime ſit, eradicari debet. Div. Joh. Apoc. VIII. v. 1. ait, quod in cœlo magnum ſilentium factum ſit. Cœlum hic fundum & centrum animæ figurat, (174) quia omnia ſilere debent, cum Majeſtas Divina in ea reſplendeſcit, & omne, quod noſtrum eſt, & nobis proprium, annihilari debet, (175) quia DEO nihil opponitur, quam quod nobis proprium; & omnis malignitas, in proprio tanquam fonte omnis malitiæ, nidulatur: unde, quo magis anima proprium deponit, eo purior fit. Quanquam igitur carentia proprii, in anima ſibi ipſi vivente, vitium eſſet, tale tamen non amplius eſt, ob puritatem & innocentiam, quam contraxit, etſi proprium amittat; quod difformitatis inter DEVM & animam unica cauſa erat.

SECVNDO, ut uniantur duo inter ſe tam oppoſita, puritas nempe DEI & impuritas creaturæ, ſimplicitas DEI & creaturæ

(173) *Sic vano obtentui eſt allegatum exodicum cap. XXXIII, 20. Ibi quippe DEVM videre ad unionem glorioſam pertinet, non gratioſam. Hunc autem præciſe debebat adſtruere Gyonia, non illam.*

(174) *Tenendum h. l. quod, veluti ſenſus allegoricus & tropologicus, ſeu mavis, accommodatio allegorica & tropologica Scripturæ nihil in probandis fidei articulis evincit, ita ſilentium in cœlo debeat horamaticum appellari, non fanaticum; neque inſuper cœlum figurare animæ fundum aut centrum commode dici poſſit.*

(175) *Alia vero eſt ſuiipſius abnegatio; alia ejus, quod nobis proprium eſt, annihilatio. Hæc cum illa, & illa cum hac minime omnium fuerat confundenda. Quin abrenunciationem potius, quam annihilationem nominaveris. Et cogita ſodes, quantum inter annihilationem humiliatoriam, quam Scriptura inſinuat, & Deificatoriam interſit. Quanquam autem homo, ſemetipſum abnegans, prout decet, amittit propriam malitiam; non tamen amittit propriam eſſentiam. Evacuet, oportet, homo pius concupiſcentias carnales, cum delectatione & conſenſu conjunctas; & abnegare ſeipſum rite cenſebitur.*

creaturæ multiplicitas; oportet, ut DEVS modo prorſus ſingulari (176) operetur. Hæc autem unio per actus creaturæ, (177) quantumvis fortes ſint, fieri nunquam poteſt, quia duæ res uniendæ aliquam inter ſe convenientiam habere debent; ita v. gr. metallum impurum cum auro puriſſimo nunquam unietur. Quando igitur agit DEVS, ante ſe ſuam propriam ſapientiam mittit; uti ignem aliquando in terram, ad comburendam in ea ſua activitate omnem impuritatem, emittet. Ignis omnia comburit, & nihil ipſius activitati reſiſtit: Ita etiam ſe res habet cum ſapientia. Omnem impuritatem in creaturis conſumit, & ita eam ad unionem Divinam præparat. Proprium & activitas animæ ſunt illæ impuritates, quæ unioni e diametro opponuntur. *Proprium* quidem, quia eſt origo impuritatis realis, cum puritate eſſentiali nunquam uniri poteſt, non ſecus ac radii ſolis, qui lucum quidem attingere, cum eo autem uniri non poſſunt. *Activitas*: DEVS enim in requie infinita eſt. (178) Si igitur cum eo uniri debeat, neceſſe eſt, ut ipſius requiem participet, (179) adeo ut, niſi hæc fiat, unio nulla ob diſſimilitudinem intercedere poſſit: nam duæ res uniendæ in æquali proportione requiei conſtitui debent; Et hoc cauſa eſt,

(176) *Conceditur, quod Sanctiſſimum Numen interdum operetur modo prorſus ſingulari; nec tamen inde ſequitur, quod operetur modo annihilativo. Siquidem religioni nobis eſſe debet, DEO aliquid citra præiens Scripturæ dictamen affingere.*

(177) *Vtique non per actus creaturæ ſ. naturales, verum per actus gratiæ, eosdemque ex parte hominum a potentia obedientientiali receptos. Quod ipſum tamen citra normam Verbi extendendum aut docendum non eſt.*

(178) *DEVS autem eſt actus puriſſimus, ab omni potentia paſſiva, intrinſece denominante, alieniſſimus. Negatur itaque ſequela: DEVS eſt in requie infinita. E. DEO non competit activitas.*

(179) *Non autem per Quietiſmum Enthuſiaſticum, ſed per Sabbatiſmum Biblicum, eumque gratioſum atqueglorioſum Hebr. III,* 11, *IV*, 9.

eſt, quod anima ad unionem cum DEO non niſi per requiem ſuæ voluntatis perveniat; nec hoc prius fieri poteſt, quam in requie centrali & puritate primæva ſtet. (180) DEVS, animam purificaturus, ſapientiam adhibet, (181) prout ignis adhibetur ad purificandum aurum. Certum enim eſt, quod aurum non niſi per ignem, qui particulas terreſtres ſenſim ſenſimque conſumit, & ab eo ſeparat, purificari poſſit: ſi autem ex auro aliquid confici debeat, non ſatis eſt, ſi particulæ terreſtres in aurum convertantur; ſed præterea disſolvi & liquefieri debet, ut ab ipſius ſubſtantia, quicquid adhuc terreſtre ineſt, ſeparetur: unde toties igni admovetur, donec omnis impuritas conſumatur, imo donec omnem diſpoſitionem ad ulteriorem purificationem amittat. Quando autem aurifaber nullam amplius admixtam impuritatem invenit, quia tunc aurum perfectam ſuam puritatem & ſimplicitatem recuperavit, ceſſat etiam ignis ab actu purificandi; nec, ſi vel per ſeculum in igne maneret, purius fieret, vel diminueretur, & tunc eo elegantiſſima quævis opera confici poſſunt. Si vero hoc aurum poſtea iterum impurum fiat, talis impuritas non poteſt aliunde provenire, quam ex tactu & commercio cum aliis corporibus. Sed hæc impuritas, quæ tantummodo ſuperficiem vitiat, nec impedit, quo minus ex eo elegantiſſima opera fiant, maxime differt a prima ejus impuritate, quæ in eo abſcondita erat, ipſiusque naturæ quaſi identificata. Interim tamen, ſi imperitus aurum hoc craſſitie externa obductum videret, ipſum minus æſtimaret, quam aurum viliſſimum & impuriſſimum, cujus ſuperficies coruſcaret. Experientia porro docet, quod aurum minori gradu cum alio majori gradu depuratum uniri non

 poſſit;

(180) *Quies animæ ſolida & Davidica non recumbit in proprio hominis centro, verum in ſolo DEO Benefactore Pſ. CXVI,7. XXXVII,4. LXXIII,* 24. 25. 26.

(181) *Non tamen emanative, ſed didaſcalice Pſ. XXXIV,* 12. 13. 14. 15. *XXV,* 12. *Koh. XII,* 13. 14.

poſſit; alias hoc impuritatem illius participabit, & viciſſim: aurum autem impurum puro aurifex nunquam commiſcet. Quid igitur de auro hoc impuro faciet? Per ignem ipſum purificabit, particulasque terreſtres ab eo ſeparabit, ut cum jam antea repurgato in maſſam ipſum redigere poſſit. Hoc docet Div. Paulus 1. Cor. III. v. 13. (182) quod opera noſtra per ignem probabuntur, ut quicquid combuſtibile eſt, comburatur. Additur ſtatim, quod, ſi alicujus opus arſerit, ſalvus tamen fiet, ſic tamen quaſi per ignem: hoc eſt, dantur opera accepta & grata; ſed ut eorum autor purus etiam ſit, ea in ignem conjici oportet, ut proprium ab iis ſeparetur. Eodem prorſus ſenſu dicitur Pſ. LXXIII. v. 3. quod DEUS juſtitias noſtras judicaturus ſit, quia ex operibus legis nullus homo juſtificabitur; ſed tantum ex juſtitia fidei, (183) quæ a DEO eſt Rom. III. v. 10. His jam ſuppoſitis, ſi homo cum DEO uniri velit, omnino neceſſe eſt, ut Sapientia una cum Juſtitia Divina, tanquam ignis inexorabilis, & conſumens animam, ab omni eo, quod proprium, terreſtre, carnale & propriæ activitatis ipſi ineſt, mundet; quam demum ſic

(182) *Intelligitur ibidem ignis doctrinæ & probationis divinæ, non ignis purgatorii Platonici, ex attributo ſapientiæ aut juſtitiæ divinæ reſultans emanansve. Fatuam hanc Cabbalam merito reſpuunt Chriſtiani. Falſo præterea ſupponitur a via hujus purgativæ defenſoribus, quod Sanguis CHRISTI nos meritorie, ſatisfactorie in cruce haud purgaverit per peccatorum noſtrorum expiationem; ſed quod nos proprie purget in corde, tanquam aliqua virtus animæ, ita operans, ut nulla remaneat concupiſcentia originalis in hac vita, ſed perfectus ſanctitatis inhæſivæ gradus in homine purgato inveniatur, perfectaque ſtatus integri ſanctitas eidem reſtituatur. Quam opinionem fovet Barclajus, &, qui cum ipſo faciunt, plurimi. Conf. B. Dn. Bücher. Menſ. XII. Pietiſt. p. 652.*

(183) *Juſtitia autem fidei non annihilat hominem, ſed confortat Eſ. XLV, 24. Igitur ab exuſtione hac & purificatione per ignem ea manifeſte differt.*

ſic repurgatam in unionem ſui aſſumet. Talis autem purificatio non eſt effectus induſtriæ creaturæ, quæ invita potiùs ſe purificari paritur. Nam uti jam dixi, homo tam intenſe, quod ſibi proprium, amat, neve deſtruatur, tam ſolicite præcavet, ut, niſi DEVS autoritate & vi ſua irreſiſtibili ageret, (184) nunquam in hoc anima conſentiret. Hic forſitan aliquis objiceret, quod DEVS homini voluntatis libertatem nunquam adimat, adeo, ut ei ſemper reſiſtere poſſit, unde male a me dicatur, quod DEVS abſolute & ſine hominis conſenſu agat. Sed reſpondeo, quod tunc paſſivus hominis conſenſus ſufficiat, ut ſalva ſit ejus libertas. Cum enim ſtatim in principio ſuæ vitæ DEO in totum ſe dederit, ut in & per ipſum, quæcunque vellet, operaretur, tunc conſentit conſenſu activo & generali (185) in omnibus, quæ DEVS fieri decerneret. Cum vero DEVS deſtruit, comburit & purificat, anima id ſibi proficuum non putat, imo contrarium exiſtimat. Quemadmodum ignis in principio aurum impurum efficere videtur: ita pariter hæc operatio Divina animæ puritatem detrahere videtur, adeo, ut, ſi tunc conſenſu activo & explicito opus eſſet, talem anima

 non

(184) *Hoc loco primum falſum Gyoniæ eſt defenſum dogma irreſiſtibilis gratiæ; quod tamen eſt Anti-Propheticum & Anti-Apoſtolicum Matth. XXIII, 27. Luc. VII, 30. Act. VII, 51. Eſ. LXV, 12. LXVI, 4.*

(185) *Diſtinctio conſenſus in activum & paſſivum invertit ordinem & œconomiam actionis divinæ, in Scriptura revelatam, quoties homo convertitur, obviam. In principio enim converſionis potius ſeſe homo (adeoque & ejusdem conſenſus) paſſive habet. Converte me, Domine, ait Propheta; & convertar. Cæterum in progreſſu additur: Cum converſus fuero, ſcil. paſſive, agam pœnitentiam. Tum demum quippe per vires, in regeneratione acceptas, conſenſus hominis fit activus. B. Scherzer. Syſtem. p. 291. & ſeqq. Per has, inquam, vires homo active ſe convertit, peccata agnoſcit, in CHRISTVM credit, & vitam emendat.*

non ſine repugnantia, (186) imo ſæpe prorſus non daret. Anima igitur laborare debet, ut conſenſum ſuum paſſivum conſervet, & hanc operationem, quam nec poteſt, nec vult impedire, quoad fieri poterit, patiatur. DEVS igitur hanc animam ab omnibus operationibus propriis, diſtinctis, perceptibilibus & multiplicatis, quæ magnam diſſimilitudinem creant, ita purificat, ut eam ſibi ſenſim ſenſimque conformem, poſtea vero plane uniformem, reddat, capacitatem nempe creaturæ paſſivam evehendo, nobilitando & amplificando, quanquam hoc fiat modo abſcondito, (187) qui ideo myſticus dicitur: anima autem ad has omnes operationes paſſive tantum concurrere debet. Verum quidem eſt, quod, antequam anima ad hunc gradum pervenerit, ejus operationes fortiores eſſe debeant; invaleſcenti vero operationi Divinæ ſenſim ſenſimque cedat, oportet, donec tota abſorbeatur; ſed hoc tempus poſtulat. Non negamus igitur, uti falſo id nonnulli nobis affricarunt, actionem initium facere debere, (188) cum illa ſit janua hujus viæ; ſed tantum

(186) *In opere converſionis potentia repugnandi eſt quidem naturalis, Rom. VIII, 7.* 1. *Cor. II,* 14. *Prudentia carnis legi divinæ non ſubjacet, nec ſubordinatur. Potentia vero non repugnandi eſt obedientialis, eſtque gratiæ prævenientis beneficium, utpote non viribus naturæ, ſed gratiæ traducibilis in actum.*

(187) *Modo ne hoc fieri dicatur per tranſitum ad ipſammet animæ deſtructionem & abſorptionem. Hic enim modus abſconditus atque myſticus traditur præter Scripturam, non ſecundum Scripturam. Neque mortificata manet anima in mortificato; ſed vivificatur, quantumvis haudquaquam in eſſentiam divinam transmutetur. Neque ægrotus annihilatur, ſed ſanatur. Neque abſorbetur ipſius anima qua ſubſtantiam; verum immutatur qua malitiam.*

(188.) *Falſo: quandoquidem ab actione DEI, qui operatur & velle, & perficere, fit initium; & ſine CHRISTO per vires creaturæ aut naturæ nihil agere poſſumus. Quinimo nec paſſiva, quam homini*

tantum hoc volumus, quod actio non ſemper durare debeat, verum ad perfectionem ſui finis eam properare oporteat, quem anima conſequi nunquam poterit, niſi priora media, quibus in principio viæ uſa eſt, dimittat, quæ in progreſſu, ſi mordicus ea retineret, maxime nocerent; unde olim dixit Paulus: Obliviſcor eorum, quæ retro ſunt; ad ea vero, quæ a fronte ſunt, contendo, ut curſum meum abſolvam Philipp. III. v. 14. (189) Annon inſanus audiret, qui iter ſuſcipiens in primo ſtatim diverſorio commoraretur, eo, quod plures, qui in eandem viam ſe dederunt, in eo ſtatim commorati ſunt. Hoc igitur ab animabus poſtulamus, ut ad ſuum finem properent, & ideo viam breviorem & faciliorem eligant, nec in primo ſtatim loco ſubſiſtant; ſed juxta conſilium D. Pauli a Spiritu DEI ſe moveri patiantur Rom. VIII. v. 14. qui eas ad finem, propter quem creatæ ſunt,

 fruitio-

*mini ſub initium converſionis vendicamus, potentia naturalis eſt, prout diximus, verum obedientialis. Neque igitur actio, ſed paſſio eſt janua illius viæ, per quam ingredimur converſionem primam. Neque enim ſumus idonei ex nobis ipſis ad cogitandum aliquid, tanquam ex nobis ipſis, ſed ſufficientia noſtra eſt ex DEO. Imo, velut eſſentia mortui non active ſemetipſam reſuſcitat: ita nec nos ad converſionis initium active concurrere poſſumus. Quin ſumus lapidei cordis homines, & trunci, quibus ſecuris ad radices eſt poſita, imo ſano ſenſu deteriores lapidibus ac truncis, qui tantopere non repugnant.*

(189) *B. Balduinus per ea, quorum obliviſci deceat, h. l. intelligit 1) peccata, ne reiterentur, 2) bona opera, ne ſuper iisdem glorìemur, 3) carnalia deſideria, ne iisdem denuo implicemur. Tantum abeſt ab eo, ut intelligat media veræ converſionis. De mediis quidem præpoſteris Gyoniæ id poſſumus concedere, quod eorum obliviſci conveniat, perinde ac Paulus Phariſaiſmi oblitus, & Chriſtianiſmum amplexus fuit. Verumenimvero Spiritus DEI non ducit ad aliud Evangelium præter id, quod annunciatum eſt, neque ad purgatorium vel Pontificium, vel Platonicum.*

fruitionem nempe DEI, feliciter perducet. Mirum omnino eſt, quod omnes ſciunt, animam quamvis, quæ in hac vita ad unionem Divinam & puritatem primævam non pervenerit, flammis PVRGATORII diuturnis, donec perfecte durificetur, traditum iri, nemo tamen in hac vita pati velit, ſe ad eam per DEVM duci, quaſi hic ductus divinus, qui erit potiſſima pars gloriæ, aliquod malum & imperfectionem in hac mortalitate producere poſſet. Nemo ignorat, DEVM eſſe ſummum bonum, & eſſentialem beatitudinem in unione cum DEO conſiſtere, ſanctosque magis vel minus tales eſſe pro diverſitate perfectionis hujus unionis. Unio autem hæc nulla activitate animæ propria fieri poteſt: (190) nam DEVS animæ in tantum ſe communicat, in quantum ejusdem capacitas paſſiva mobilior, (191) major & extenſior eſt, nec quicquam cum DEO ſine ſimplicitate & paſſivitate uniri poteſt. Cum igitur hæc unio ſit ipſa beatitudo, via, quæ ad paſſivitatem ducit, mala eſſe non poteſt; ſed contra eſt omnium optima, in qua nullum eſt periculum: quod vel exinde maxime patet, quia, ſi periculoſa eſſet, eam Chriſtus non adeo commendaſſet. Quemadmodum ad beatitudinem: ita & ad fruitionem DEI, tam in hac, quam in altera vita, cum fruitio DEI ſumma ſit beatitudo, omnes vocan-

(190) *Quemadmodum unio myſtica inter CHRISTVM & animam fidelem non eſt ejusmodi, ut hæc dicere queat: Ego ſum CHRISTVS, extremis quippe unitis eſſentialiter diſtinctis manentibus etiam in medio unionis ſtatu: Ita mirum non eſt, ſi ipſum unitionis & gratioſæ communicationis actum ſpectes, quod, citra Weigelianiſmum loquendo & ſentiendo, omnis activitas, animæ propria, eidem negetur. Etenim CHRISTVS hic eſt agens, anima patiens; CHRISTVS unit, anima unitur; CHRISTVS deſponſat, anima deſponſatur.*

(191) *Vbi vero nulla capacitas paſſiva naturalis eſt, ibi neque mobilior, nec immobilior, nec major, nec extenſior eſt; quandoquidem non in nobis, verum in Domino noſtra eſt juſtitia, fortitudo & beatitudo.*

vocantur. Dico, fruitionem DEI ipſius eſſe ſummam beatitudinem, non autem donorum tantum, quæ eſſentialem beatitudinem & animæ appetitum exhaurire non poſſent: anima enim tam nobilis, tamque ſublimis eſt, ut ne eminentiſſima DEI dona, ſed ſolus DEVS eam perfecte beare poſſit. Nil vero magis optat DEVS, quam ſemetipſum creaturæ juxta capacitatem, quam ei indidit, communicare. (192) Cur igitur DEO nos committere, eum poſſidere, & ad unionem Divinam nos diſponere metuimus? Sed objicitur, quod talis unio propriis viribus fieri non debeat. Hoc concedo, & inſuper addo, quod ne quidem hæc fieri poſſet: nulla enim in orbe creatura eſt, quæ unionem propriis viribus cum DEO contrahere poſſit; (193) unde neceſſe eſt omnino, ut DEVS animam ſibi conjungat. (194) Cadit igitur objectio ex dictis. Poterit etiam objici, quod

(192) *Non tamen Deificatorie, ſed gratioſe & glorioſe; non ita, ut creatura fiat DEVS, verum ut fruatur DEO; neque ita, ut hypoſtatice participet divinam naturam, ſed ut realiter & arctiſſime conjungatur ſubſtantia hominis credentis cum ſubſtantia DEI, modo ineffabili & humanæ rationi prorſus incomprehenſibili, ſine extenſione aut contractione eſſentiæ divinæ & humanæ. Participes nimirum evadimus non modo donorum, ſed & ipſius naturæ divinæ 2. Petr. I, 3. 4.*

(193) *Veluti unio hominis cum DEO & communicatio myſtica ἔγγραφος non fit propriis naturæ viribus: Ita nec fit per converſionem ſubſtantiæ humanæ in divinam, ita ſe habentem, ut fidelis homo dicere poſſit: Ego ſum DEVS, aut, Ego ſum CHRISTVS. Quæ quidem communicatio eſt ἀντίγραφος. Neque etiam CHRISTVS ea, quæ piis ſuis membris obveniunt, appropriat ὑποστατικῶς, ſed σχετικῶς, ob externum reſpectum, ex unione myſtica reſultantem. B. König. Theol. Acroam. p. 203.*

(194) *Non tamen eandem prorſus eſſentialiter evacuando & abſorbendo, verum gratioſe, ἀνεκλαλήτως καὶ ἀνεκδιηγήτως ſibi copulando.*

quod plurimi ſibi imaginentur tantum in tali unione ſtare; ſed non magis hoc ſibi quis imaginari poterit, quam famelicus ſibi diu perſuadebit, quod ſatur ſit. Cum igitur certum ſit, quod nemo ſuum finem ingredi poſſit, niſi in eum introducatur; hic non eſt quæſtio de animabus in eum introducendis; ſed de via ipſis monſtranda, quæ ad eum ducit, iisque monendis, ne in diverſoriis commorentur, & praxibus inhæreant, quæ audito ſigno relinquendæ ſunt. Hæc autem omnia tradit Director peritus, qui aquam vivam monſtrat, (195) & ad eam perducere conatur. Annon merito crudelis audiret, & ſeveriſſimis pœnis dignus eſſet, qui ſitienti fontem aquæ monſtraret; ne vero eum adiret, donec ſiti conficeretur, in vincula conjiceret? Sed proh dolor! hoc hodie obtinet, ſicut via, ſic etiam finis; de quo ſine errore dubitare non licet. Via habet ſuum initium, (196) progreſſum (197) & finem. (198) Quo

(195) *Sed hanc non monſtrat, neque offert alibi, niſi in fonticulo urbis ſuæ, in fonticulo Iſraelis, in Verbo & Sacramentis ſuis, ceu ordinatis gratiæ ſalutisque mediis. Huc confugere oportet, veluti cervus ſitiens glocitat ad rivos aquarum. Ad legem & teſtimonium recurrendum eſt auroram gratiæ divinæ cupientibus. Qui Moſen & Prophetas non audit, ille nec propriis tuto confidet ſpiritualitatibus, ut voce Lutheri denuo uti liceat.*

(196) *Viæ hujus Gyoniſticæ initium, progreſſus & finis fallunt. Siquidem via purgativa purgationem animæ ſine externa Sanguinis CHRISTI effuſione peragendam hominibus monſtrat. Quod initium perverſum nihil boni in re conſcientiæ, quæ tanti momenti eſt, poſt ſe trahere poteſt.*

(197) *Progreſſus viam illuminativam pandit ſine illuminatione Verbi forinſecus prædicati; perinde, ac ſi quis, noctu lucerna carens, ſeſe in tenebis ambulare neget, & de neſcio quo lumine glorietur.*

(198) *Finis ac terminus viam unitivam præit, ſine medio unionis, quod ex parte noſtra eſt vera fides, affectandam.*

Quo quis magis ad terminum accedit, eo magis ab initio recedit. Impoſſibile enim eſt, utut ad terminum perveniat, niſi a principio recedat: &, ſi voluerit a porta quadam in locum diſſitum ſe conferre, ut per eam tranſeat, neceſſe erit. Hæc omnia ſunt certiſſima. Si igitur finis bonus, ſanctus & neceſſarius eſt; ſi porta pariter bona, cur via, quæ ab hac porta incipit, & ad hunc finem ducit, mala erit? (199) Quanta cœcitas plerorumque, qui ſua eruditione & acumine turgent? O quam verum eſt, mi DEVS! quod tua arcana ſapientibus occultaviſti, ea vero parvulis revelaſti?

Matth. XI. v. 25. (200)

## SOLI DEO GLORIA.

(199) *Ideo, quia non ſecundum canonem Verbi divini incedere docet, neque pax, nec miſericordia comitari poteſt eos, quotquot eandem calcant aut ſequuntur.*

(200) *Quod autem CHRISTVS h. l. aperire voluerit : [illegible]lem viam unitivam, parvulis revelatam,* dadurch eine Seele ſich ſelbſt und ihr gantzes Weſen verliere / in GOtt eingehe / in GOtt verwandelt werde / und in dieſem Vereinigungs- und Vergöttungs-Stande nicht mehr wiſſe / was GOtt iſt / den ſie gleichwol empfindet; *id vero Pſeudo-myſticis & Gyoniſtis incumbit probandum; ſed ad calendas Græcas probabitur. Aliud nobis perſuadet ſimplicitas, quæ eſt in CHRISTO IESV, quam ex firmiore ſermone Prophetico & Apoſtolico didicimus, hauſimus hauſtamque retinemus & unice veneramur.*

*Ecquid autem opus eſt, repertis frugibus etiamnum velle glandibus veſci? Ecquid myſteria ſalutis e ſchola Platonis, Zenonis aut Pythagoræ potius accerſentur, quam e Schola Spiritus Sancti? Ecquid via purgativa, illuminativa & unitiva gentilium magis decempedis, quam Prophetarum & Apoſtolorum dogmatibus normativis erit metienda? Quin pedem in Academia Spiritus Sancti figentes tergeminam maxime purgationem ſectemur, legis, ſanguinis & crucis. LEGIS quidem tonantis, fulgurantis, ac, ignis penetrantiſſimi*

*inſtar, intimam peccatorum agnitionem in nobis accendentis; SANGVINIS, dum corda noſtra fide purgantur penitius, dum aſpergine hyſſopi profundius mundamur & lavamur, ita, ut nive candidiores evadamus, oſſaque adeo exhilarentur, quæ DEVS percuſſerat, Sanguine CHRISTI nos ab operibus mortuis mundante, & ſerviamus DEO viventi; CRVCIS tandem indirecte, dum hæc ad auditum & lectionem Verbi nos compellit, dum intellectum dat & reſuſcitat, dum per aquam & ignem ducimur, & fides noſtra in clibano probationum atque tribulationum auri argentique inſtar explorata reſplendeſcit. Sectemur illuminationem Verbi, Baptiſmi & Evchariſtiæ Dominicæ, ceu mediorum ſalutis in acroaterio Spiritus Sancti nobis ordinatorum. Verbum eſto ac maneto lucerna pedi noſtro, & lumen ſemitæ noſtræ. Uti mundum eſt; ita illuminet oculos mentis noſtræ. Luceat in loco caliginoſo animæ noſtræ, ubi dieſcat & oriatur in cordibus noſtris Phoſphorus IESVS CHRISTVS, qui viſitavit nos oriens ex alto, ut appareat ſedentibus in tenebris & umbra mortis, dirigatque pedes noſtros in viam pacis. Aperiat ita porro oculos noſtros, ut convertamur a tenebris ad lucem, & a poteſtate Satanæ ad DEVM. Per Baptiſmum illuceſcat quotidie in nobis gratia & φιλανθρωπία Ejus, qui per hoc lavacrum regenerationis ac renovationis nos ſalvare vult. Per Evchariſtiam Domini non ſecus, ac per Spiritum & aquam, per Evangelium, quod eſt miniſterium Spiritus, & per initiationis Sacramentum illuceſcat animabus noſtris quotidie teſtimonium Sanguinis, quem bibimus in remiſſionem peccatorum & in confirmationem fidei noſtræ. Sectemur tandem viam vere unitivam, & gaudeamus per media divinitus ordinata, Verbum & Sacramenta, frui unione participativa divinæ naturæ, & inhabitatione gratioſa Sacro-ſanctæ Triados, usque dum perveniamus ad manſiones glorioſas in domo Patris noſtri & in æternis cœli tabernaculis, ubi non amplius viæ, ſed patriæ Theologiam purgatiſſimi, illuminatiſſimi atque unitiſſimi apud DEVM, Patrem noſtrum cœleſtem, omnia in omnibus permanſurum, beatiſſime excolamus! Amen.*